JS


OF·GEMS·&c GEM·CUTTING
GEMSTONES·OF·NORTH·AMERICA·PROSPECTING·FOR·GEM
STONES·AND MINERALS
MINERALOGY·EMERALD·AND·OTHER·BERYLS·CATALOG
EX LIBRIS
JOHN SINKANKAS

GEORGII AGRICOLÆ

(Germ. Bauer or Landmann)

De

ANIMANTIBUS SUBTERRANEIS LIBER.

Hactenus à multis desideratus,

NUNC VERO IN GRATIAM STUDIOSORUM SEorsim editus, in certa capita divisus, capitum argumentis & nonnullis marginalibus exornatus.

A

JOHANNE SIGFRIDO,
Phil. & Med. Doctore & Professore in illustri Juliâ ordinario.

VVITEBERGÆ,

Typis Meisnerianis: Impensis Zachariæ Schureri Bibliop.

ANNO M. DC. XIV.

1614

Illuſtriſsimo Principi ac Domino,

Dn. JULIO AUGUSTO

DIVI JULII FILIO,

HENRICI Junioris nepoti,

HENRICI Senioris pronepoti,

ABBATI Michelſteinenſi Reverendiſsimo, & Brunſuicenſium ac Lunæburg. DUCI generoſiſsimo

Domino ſuo clementiſsimo,

humili ac ſubmiſso animo

Offert, dicat, conſecrat

JOANNES SIGFRIDUS D.

AD

Clarißimum Virum,

Dn. IOANNEM SIGFRIDUM, Philos. & Medic. D. & in inclutâ Juliâ Professorem, amicum & Collegam honorandum.

ANTE tibi, quæcunq; foras
justißima mater
Sive in planitie camporum,
aut montibus altis,
Sive in agris, multâ seu densis
arbore silvis,
Pleno terra sinu medicos effundit in usus,
Non minimæ, Sigefride, fuit perquirere curæ;

Nec

Nec te non ſtudium valde ſublime fatigat,
Quo natura modo fabricaverit, aut quibus, artus
Artubus innectens, religarit membra catenis,
Quiſnam ordo, quiſnam uſus, & intervalla locorum
Corporis humani: ſed jam non amplius iſtis
Contentus cupis eſſe opibus; tam divite cenſu
Et locuplete penu naturæ, in viſcera terræ
Ad ductum Agricolæ magni, te fervida eundi
Mens tenet, ut planè nihil ignorare poteſsis,
Quod Stygiis etiam natura recondidit umbris
In fæcundo utero terræ, gremioquè capaci.

Per-

Perge ita: nam major certè illũ
fama manebit,
Post limam, auctorũ qui vulgat
scripta bonorum
Temporibus defuncta suis, situ &
obruta pravo:
Quam si scribendi quis tortus ab
ulcere, plures
Hinc atq; hinc iterum nugas cor-
radat, & istis
Libros ridiculè, quasi pannum
consuat, anni
Quos & præsentes, & postera re-
spuat ætas.
Perge, inquam, & plures, si quos
tua lima coercet,
Ede lubens, nobis atq; impertire
libellos.

Joann. VVolfius, Phil. &
Medic. D. & in eadem Ju-
liâ Professor public.

SUNT

SUNT qui mirantur claram Rhodon aut Mitylenem,
Aut Epheſum, ſunt qui hic, quicquid & ille gerat.
Aſt ego, cur inter tot noſtra pericula, Phœbum
Julia præ reliquis vendicet uſque ſibi.
Te SIEGFRIDE mihi meditatio ſedula præbet,
Quantum id ſervaſti dexteritate tua:
Namq; malum quînam quis, concitus arte Machaon,
Quod Pandora tulit, tollere poſſit, habes.
Hujus & ut ſedes & ſint primordia nota,
Corporis humani ſolvere membra juvat.
Quippe metallorũ quæ vis ſit, quis ſit & uſus
Herbarum, ingenuè non ſine laude doces.

Talia Bauhinus de te teſtatus, apertè
Teſtatur Medici maxima turba chori.
Immò quod ingenio hæc teneas quoad omnia ſcripta
Teſtantur, genii vis operoſa tui.
Ergo tibi meritum concedit Julia honorem,
Sive ſecuturo tempore, ſive tuo.

Scribebat

Fridericus VVagnerus
Med. Doct.

SIG-

SIGFRIDVS *solers Naturæ mysta, Lycéi*

Gloria Iuliaci,

AGRICOLAM tinearum epulas semesaq; blattis

Fercula putrigenis

Custodi eripuit cistæ, veteriq; nitori

AGRICOLAMQ; sibi

Restituit; proditq; leves, bone lector, *in auras*

Virbius AGRICOLA.

Iamq; utraq; manu teritur liber unus & alter

Ejus ope atq; opera:

Nunc etiam historiam, quæ sunt sub terra, animantum

Publicat ille tibi.

Quæ tantis studiisq; viri meritisq; rependes

Et studia & merita?

Quæ debes, me etiam, nisi terræ filius ipse es,
Scire tacente potes.

ſcrib. Helmæſt.

GEORGIUS NÔSSLERUS, Marchicus.

QVI

QVI prius innumeras furiis Acherontis ab undis
Ereptas animas vitæ SIGFRIDE redonasti,
Orcivum fraudans sperato Porthmea naulo.
Idem etiam tristi penè intermortua fato
Scribta Virûm in lucem revocas. testantur idipsum
FallopI liber, & monimenta metallica docti
Agricolæ, & quod nunc de animãtibus edis opusclum.
Quæ tibi pro meritis debentur præmia, nostrum
Dicere nõ erit aut detexere carmine laudes:
Perge modo, atq; animas morituras eripe letho,

Et

Et libros tineis perituros eripe,
& usq;
Post obitum vives, nec te ultima
nesciet ætas.

JOAN-HENRICUS MEIBOMIUS,
art. Med. Stud.

ET

ET meritò nostri Princeps Rectorq; Lycei
Sigfride, & medicæ diceris artis Apex.
Ambo etenim Satagis ditare industrius omni
Tempore, librorum quod monumenta probant.
Approbat hoc-ipsum præsens, quē cerno, libellus
Lumen in apricum, quæ latuère, ferens.
Exiguæ molis liber est: sed maxima rerum
Pondera si spectes, grande volumen erit.
Præstat ut ingenti vel gemma minutula Saxo,
Sic liber ingenti prævalet iste libro.

Per-

Perge ita Pœoniam ditare fideliter artem
Cui nunc das famam, mox dabit illa tibi.

Fridericus Jenckius Svebusiensis Sil.

GEORGII AGRICOLÆ DE ANIMANTIBUS SUBTERRANEIS LIBER, AB AUTORE RECOGNITUS.

CORPVS SVBTERRANEUM) Corpus ſubterraneum duplex. Animantium materia; ubi gignantur, commorentur & vivant.

CAP. I.

CORPVS ſubterraneum, ut res ipſa demonſtrat, in animatum diſtribuitur, & inanimatum: quod autem animi expers eſt, rurſus dividitur in id, quod ſua ſponte erumpit ex terra, & in id, quod ex eadem effoditur. De altero inanimi genere dixi in quatuor libris De natura eorum, quæ effluunt ex terra in ſcriptis; de altero in decem De natura foſsilium: nunc de ſubterraneis animantibus dicam. *Corpus ſubterraneum duplex.*

Cùm verò genus animantium omne

Animantium materia. constet ex quatuor elementis, & corpus humidum ac siccum, id est, aqua & terra, ad accipiendum apta sint, necesse est ea ipsa duo elementa animantium materiam esse. Ex quo rursus illud quadam naturæ necessitate consequitur, ut omne animal & in aqua vel terra gignatur, & in eis commoretur atq; vita fruatur. Nam bestiæ volucres, etsi passim per aerem volitant, tamen in terra, vel in stirpibus ex ea natis, vel in ædificijs super ipsam collocatis, construunt nidos, & eis aut terra aut aqua cibos suppeditat.

Quibus in locis animantes gignuntur & vivunt.

Aves quædã in Turcia perpetuo in aere degunt. Vt enim verum sit, quod perhibent, aves, raras illas, & non adeo magnas, quarum pennas longas, & colore luteo dilutiore splendentes, rex Turcarum in superiore parte coronæ, multis gemmis preciosis ornatæ, gestat, in aere perpetuum vitæ cursum tenere, fœminam ovis, quæ parit, super dorsum maris sinuatum locatis, ventre item sinuato incubare, & pullos excludere, neutram vivam unquàm pedibus brevissimis, & in plurima reconditis terram attingere, tamen solo aere nec ali videntur posse, nec augescere, sed his quibus vescuntur.

πυρίγονοι. At verò etiam bestiolæ, quæ πυρίγο-

νοι

ροι, propterea quòd in terreno isti igni gignuntur, à Græcis nominantur, terra & aqua non carent: gignuntur autem, ut Aristoteles scribit, in his Cypri fornacibus; in quibus lapis ærarius multos dies crematur: atque magnis muscis paulò maiores sunt & sublatæ. In igni ambulant & saliunt, sed emoriuntur quàmprimum ab eo dimotæ fuerint.

ANIMANTIUM AUTEM) Quæ animantes subterraneæ dicantur, &, cum temporum mutationes sentiunt, quò se recipiant & occultent.

CAP. II.

Animantium autem partim, tametsi latere soleant, non subeunt terræ rimas, nec foramina, nec speluncas: quæ in subterranearum numero non sunt: partim noctu, aut interdiu subterraneas succedunt cavernas, partim certo anni tempore: quarum utræque eo ipso diei vel anni tempore subterraneæ sunt, atque dici possunt: partim ferè perpetuò occultè in terra latent: quæ subterraneæ & semper sunt, & propriè dicuntur. *Animantes subterraneæ quæ dicantur*

Animantes temporũ mutationes sentiunt.

Vt autem res expressior & illustrior fiat, paulò altius ordiar. Quoniam animantes omnes natura mutationes temporum sentiunt, pleræque frigoris aut caloris vitandi causa, vel regionem, locum've mutant: vel ingrediuntur in domicilia, aut arbores exesas & excavatas: vel subeunt terram.

EARVM AUTEM) Quæ animantes regiones & loca mutantes nunquàm revertantur. CAP. III.

Earum autem quæ regionem mutant, aliæ semel egressæ nunquam revertuntur, aliæ revertuntur.

Homines egreßi non revertuntur.

Nunquàm redire solent rationis participes, hoc est homines. Etenim hi non modò frigoris aut caloris vitandi causa alibi sedem collocant, verum etiam ex regionibus macris & nihil ferentibus migrant in opimas & fertiles: vel cùm tanta multitudo fuerit orta, quantam non satis commodè alit regio, partim aliò ad habitandum eunt. Quo sanè modo alia ora parsque terrarum onus, quo premitur, in alia sæpe deponit: qui-

Homines mutant regiones & cur.

quibus de causis Scandia, peninsularum omnium maxima, olim magnam Gothorum copiam unà cum conjugibus & liberis effudit in Sarmatiam & Daciam. Cymbros verò & Teutones, ex ultimis Galliæ Belgicæ oris, in quas è Germania commigrarunt, maris inundationes exegerunt. Et eædem ac terræ motus atq; eruptiones ignium & aquarum calidarum effusiones ex Ænaria colonos, quos Hiero tyrannus Syracusanus eò miserat.

Atq; his ferè de causis gentes aut victæ ab his quæ migrarunt, expelluntur & ejiciuntur ex proprijs sedibus ac possessionibus, vicissimq; etiam ipsæ in alienas irruunt & eas occupant: aut subactæ & bello domitæ victricibus serviunt: aut tam victæ quàm victrices communi conditione libertatis eandem regionem obtinent.

Volucres in alias regiones migrant.

Simili modo animantes rationis expertes maximè volucres, ex regionibus, in quibus & natæ sunt & vivere consuerunt, nunquàm redituræ in exteras se conferunt: etsi rarius. Quo pacto ab hinc annos sex, locustæ, diræ herbarum, leguminum, segetum, stirpium, quas vastant, pestes, gregatim involarunt in Pannonias, in Daciam, in veterem re-

gionem Marcomannorum, Lygiorumque: ut quondam etiam sæpe ex Africa in alias Europæ oras.

Quin ut interdum unicus homo in longinquas regiones abit, nec redit unquàm, ita unum solum animal: quo modo annos ab hinc propè viginti in Norico captum est animal canis villis vestitum: cuius, ut cephi Æthiopici, prioribus pedibus similitudo erat cum humanis manibus: posterioribus cum humanis pedibus. Et Alberti cognomento Magni temporibus in Slavorum sylvis comprehensæ sunt animantes duæ, mas & fœmina, quarum pedes priores item erant similes manibus humanis: posteriores pedibus humanis: eas verò ipse putavit esse in simiarum genere.

Animantes pedes habent similes hominum manib9.

Ac ibim Ægyptiam in Alpibus à Marco Egnatio Calvino præfecto visam Plinius memoriæ prodidit. Aquilam quoque Northusæ in Toringia, cùm ibi consenuisset, mortuam scimus. Hoc etiam anno, qui est octavus & vicesimus imperij Caroli quinti, Ianius quidam Dyncelspyhelensis aquilam profligatam occidit, & quasi donum senatui attulit: quæ aquila in eum in equo sedentem, pridie Epiphaniæ prope Rotelin oppidum

Ibis.

Aquila.

dum impetu tam violento involavit, ut non procul abesset à periculo vitæ.

Eodem modo verisimile est aliquos etiam pisces, cùm semel reliquerunt mare, in fluvios, qui per longinquas regiones fluunt, ingredi, & nunquam in idem redire. *Pisces ex mari exeuntes nunquam redeunt.*

HACTENUS DE GENERIBUS) De animantibus, quæ ex regione, in quam ingressæ sunt, redire solent.

CAP. IV.

Hactenus de generibus animantium dixi, quæ in regionem, è quâ egressæ sunt, non revertuntur: nunc dicam de his quæ reverti solent: quæ & eædem sunt, & eadem ferè de causa, caloris scilicet vel frigoris vitandi, à regione, cujus incolæ sunt, semigrant: & quidem æstate in locis frigidis, hyeme in tepidis morantur. Etenim homines qui valetudini dant operam, ut tueri se possint à calore, in æstivis sunt: ut à frigore, in hybernis: qui mos in primis fuit Romanis. Atque etiam reges & domini multarum gentium æstate in alias terras abeunt, in alias hyeme: *Homines diversis anni temporibus loca mutant & ex iis redeunt.*

nam reges Persarum olim hyberno tempore Babylone degebant, verno Susis, æstivo in Ecbatanis.

Bestiæ secedunt & revertuntur.

Eodem modo bestiæ, volucres & aquatiles solum mutant & secedunt: quarum aliæ in his ipsis regionibus & locis, in quibus ævum agere consueverunt, refrigerationem in æstate, in hyeme teporem solent persequi: aliæ in longinquis & ultimis. At ferè volant, natant, eunt ad habitandum in locis, in quibus aer ita sit temperatus, ut cibos ferat vel suggerat: quorum nascendi facultatem eis adimit terra, quando frigore obriguit, vel calore exaruit: aqua eos non suppeditat, quando conglaciavit.

Aves migrantes.

Aves enim quædã æstivo tempore in sylvis, hyemali ad horrea & tecta plerunque commorantur: ut pica, cornix, lurida, quam ἴκτορον Græci, Latini vocant galgulum: quædam cum æstate ævum agant in sylvis, hyeme demigrant in finitimos locos apricos, montium recessus secutæ: sicut vultures, milui, sturni, turdi, merulæ, palumbes, upupæ.

Volucres aquatiles abeuntes.

Aquatiles etiam volucres temporibus hybernis se conferunt ad lacus & fluvios, in austri partibus sitos, qui frigore non congelant: aut ad aliquam

flu-

fluminum partem, cui aqua non conglaciat: ut ardeolæ, mergi, corvi aquatici, onocrotali, fulicæ, anates immansuetæ, querquedulæ: quædā ab ultimis quasi terris discedunt in ultimas: veluti grues. Etenim, quod Aristoteles tradit, ex Scythiæ campis proficiscuntur ad paludes Ægypto superiores, unde Nilus profluit. Abeunt etiam longius olores, ciconiæ, immansueti anseres. Paucæ verò aves hyeme in sylvis manent, ut tetraones, attagenes: minus multæ in agris, quarum in numero sunt perdices.

Item piscium alij, ut vitare possint solis calores, æstate de litore abeunt in altum: & contrà, ut consectari queant teporem, consequenti tempore ex alto, in quo se merserant, emergunt, ac in litore versantur: veluti delphini: alij ex mari ingrediuntur in mare, ut thynni hyberno tempore ex Ponto in magnum mare: & contrà verno ex magno mari in Pontum. Alij eodem tempore in fluvios, ut salmones, thynni, sturiones. *Pisces loca mutant.*

ATQVE HÆ ANIMANTES) Animantes loca mutantes, & vel hyeme vel æstate sese abscondentes,

tes, subterraneas rectè non dici. Cap. V.

Atque hæ animantes subterraneæ dici non possunt; ut nec ullæ aliæ, quæ terræ cavernas non succedunt: etiamsi frigoris vitandi causa hybernis mensibus, caloris æstivis occultentur & lateant, quales sunt in hominum genere qui multum frigidas aut calidas regiones habitant: nam qui illas hyberno tempore, qui has æstivo in domibus latent.

Homines cur occultentur.

Bestiæ latentes. *Erinacei.* *Glires.* *Serpentes.*

In quadrupedum genere erinacei: hyeme enim se condunt in cavas arbores, in quas autumno poma comportarunt. Similiter glires & mures Pontici, ac serpentes quidam se condunt in cavas arbores: sed hi ipsi maxima ex parte, ut postea dicam, saxorum cavernas succedunt. Quædam etiam blattæ & asellæ rimis parietum & domorum latebris occultantur. Formicæ quoq; conduntur in acervis, in quibus congerendis vere & æstate multum operæ & laboris consumpserunt.

Blattæ. *Formicæ.*

Apes. *Crabrones.*

Apes item domesticæ hyeme ingrediuntur in alveos, sylvestres aut in cava arborum, aut in terræ cavernas, aut in parietinas: crabrones quoque sylvestres

ſtres in cavernas, & quoſdam quaſi nidulos arborum: veſpæ in earundem domorumve nidulos, quos æſtate conſtruxerunt. *Veſpæ.*

Similiter hyeme latent in cavis arboribus non paucæ volucres, ut cuculus, picus, corvus, cuius caput rubra macula inſigne, qui propterea πυῤῥοκόραξ à Græcis nominatur, upupæ quædam. At hirundines tam domeſticæ quam agreſtes in loca vicina quæ ſunt tepidiora ſecedunt: quæ ſi defuerint eis, ſe in anguſtis montium locis condunt, in quibus aliquando etiam ſturni, palumbes, turtures, merulæ, turdi, alaudæ, upupæ latere conſueverunt. Sive autem in arboribus, ſive in montibus latuerint, ea de cauſa verno tempore deplumes ſolent conſpici. *Volucres.* *Hirundines.*

SATIS MULTA) Animantium ſeſe occultantium tria eſſe genera. CAP. VI.

Satis multa, & fortaſsis plura quàm inſtituta ratio poſtulabat, dixi de his animantib. quæ caloris frigoris've vitandi cauſa non ſubeunt terræ neque rimas neque foramina, neque ſpeluncas. Quanquam quæ dicta ſunt, ita apte natura cum his quæ ſequuntur cohærent,

ut

Tria animantium sese occultantium genera. ut distracta vix possint satis commodè explicari. *Igitur animantium*, quarum gratia potissimum hunc scribendi laborem suscepi, *tria sunt genera*. 1. Quædam enim vel noctu vel interdiu subeunt terræ cavernas, atq; in eis delitescunt, dormiunt've: sed pleræque omnes etiam hyeme egrediuntur ad pastum capescendum: 2. *quædam* certo anni tempore subterraneas succedunt cavernas, & in eis gravi somno pressæ aliquot menses consumunt: 3. *quædam ferè perpetuo occultè* in terra latent.

PRIMI GENERIS) De terrenis animantibus terræ cavernas subeuntibus, & primùm de hominibus.

CAP. VII.

Primi generis non solum terrenæ sunt, sed etiam volucres: verum terrenas primò persequar. Earum autem *Homines cavernas subeuntes Troglo-ditæ vocantur.* in numero *habentur homines cavernas succedentes*, qui ex eo nominantur Troglodytæ: quorum alij eas cavernas subeunt caloris vitandi causa, ut qui in Africa habitant ad mare rubrum, & Syrticæ gentes: alij frigoris, ut qui in Asia post Caucasum monte incolunt planiciem septen-

septentriones versus sitam, & Scythicæ gentes; & sylvestres homines, qui in Scandiæ regione Scricfinnia noctu nautis infesti sunt: quos ij rogis ardentibus abigunt.

In Armenia etiam majore, ut Xenophon optimus author scribit, sunt domus subterraneæ, quarum ostium putei instar angustum est, inferior pars lata, aditus jumentis sunt fossiles, homines descendunt gradibus. *Domus subterraneæ in Armenia.*

Quin in Tenedo insula piscatores hodie rupium speluncis pro domibus utuntur: ut quondam Cacus latro spelunca inter Aventinum montem & salinas. Facies quam dira tegebat Solis inaccessam radijs: ut Sybilla Cumæa antro illo ad Avernum lacum tam musivo opere insigni quam vaticinationibus nobili: Et Circe, mulier cantionibus clara, habitavit, ἐν σπέσσι γλαφυροῖσι, ut Homerus canit. *Rupium speluncæ.*

In Sedunis etiam tractu Sittensi ad Bremisam pagum ex rupe excisa sine ullis tignis & trabibus ligneis *formatum est integrum cœnobium*, hoc est, templum, cubicula, conclave, culina, cella vinaria. *Cœnobium in rupe excisa.*

Similiter in altis montibus conspiciuntur arces subterraneæ: ut quæ in Alpi- *Arces subterraneæ.*

Covolum. Alpibus Covolum nominatur, in quam nec equites nec pedites possunt ascendere, sed cùm homines, tùm omnia ad vivendum necessaria ad ipsam attrahuntur:
2 quæ in præcipiti Siciliæ rupe, non longe ab Eryce monte existit, cum Drepano promontorio coniuncta ponticulo, quo solo adiri potest:
3 *quæ in Saxonia inter Blancheburgum & Halberstadum est*:
4 quæ in Toringia inter Vimariam & Blanchenhainam propeMellingum pagum: illius nomen est Reinesteinum
Reinsteinium Pushardum. vetus, huius Pushardum, atque ea distat à Vimaria quatuor millib. passuum: utraque ab habitatoribus nunc deserta est & vacua: utraque habet in saxo incisa hypocausta, conclavia, scamna, stabula, præsepia, januas, fenestras: Saxonica verò etiam templum, supra quod incolæ extruxerunt speculam, quæ sola subiecta fuit sub aspectum. Hoc templum testudinis figura, & pila media rotunda insigne est: cætera omnia sunt quadrata. Ipse mons Saxonicus præceps est ex omni parte, præter eam qua ascenditur: in cuius planicie excelsus collis clementer assurgit, qui qua parte planiciem spectat, fossa satis alta & lata circumdatur: ex huius collis saxo arenaceo, nonnihil rubro exciso formata

finata est arx illa, cui multæ & magnæ fenestræ, quin in pede ipsius montis cellæ sunt subterraneæ cum equorum item stabulis. Utraque arx hoc ænigma peperit usitatum Saxonibus & Toringis;

Dic quibus in terris arx alto condita monte,
Mille ubi per tectum possunt errare bidentes.

Hoensteini etiam; quæ arx est Misenæ trans albim, equorum stabula in saxo incisa sunt.

Et Prænestinæ fossæ subterraneæ literis celebrantur, in quarum una Caius Marius obsessus, extinctusque occidit: Græcas quoque mulieres, quæ meretricium quæstum faciebant publice, in cellulis subterraneis habitasse ex comicorum scriptis apparet: à quibus χαμαιτυπεῖαι nominantur. Et ganeum ἀπὸ τῆς γᾶς, quòd esset in terra, dictum putat Terentij interpres. Tales etiam cellæ Romæ fuerunt, & frequentiores quidem sub circo maximo, qua pertinet ad naumachiam, & in vico Suburano, & Summæniano atq; Thusco: quin Romæ subterraneæ Ditis aræ fuerunt, & subterraneum Consi templum: ac antiquos dijs inferis effodisse scrobes subterraneas, nymphis antra legimus.

Fossæ subterraneæ.

Cellæ subterraneæ.

Aræ Ditis subterraneæ.

In

In maritimis urbibus homines subterra habitant.

In maritimis quoq; Germaniæ quibusdam urbibus, sicut in Prussis Dantisci, & in Saxonibus Lubeci, bona vulgi pars sub terra habitat in testudinibus; super quas exstructæ sunt magnificæ domus, quæ à dominis incoluntur.

EODEM MODO) Quæ animantes cavernas succedant, sed ad pastum capessendum etiam hyeme egrediantur.

CAP. VIII.

Animalia ad pastum capiendū è cavernis egrediuntur.

Eodem modo cuniculus, vulpes, fiber, lutra, meles, & fortassis aliæ quædam bestiæ subeunt cavernas, sed egrediuntur ad pastum capescendum etiam hyberno tempore.

Cuniculus.

Ac cuniculus quidem multos fodit specus, & in colles terrenos agit cuniculos: ex qua re nomen invenit. Mane & vesperi egreditur, reliquo tempore ferè latet. Aliquos autem specus operit pulvere, ne deprehendantur. Sed eum viverra atque parvi quidam canes, quibus est ad investigandum sagacitas narium, in specus & cuniculos immissi, aut liquor fervens in eosdem infusus, fugatum & exturbatum pellunt in retia, quibus capitur. Cuniculis autem

non

non unus est color: vel enim in cinereo fuscus, vel lepori nonnihil similis, vel maculosus: quomodo candidi nigris vel rutilis maculis stellantur.

Vulpes. Vulpes verò inprimis ad fraudem callida, non tam ipsa fodit specus, quam ab alijs animantibus effossos occupat. Et melem à specu prærepto, quia eius os stercoribus inquinat, foetore abigit. Venatur lepores, cuniculos, mures, gallinas, aves, pisciculos. Dolose autem agit omnia. Etenim sæpè lepores & cuniculos, dum simulat se cum eis colludere velle, capit incautos: muribus, ut feles, insidiari solet: gallinas noctu, clam ingressa in casas, prehendit & asportat: aves, dum insidiosè se fingit mortuam, ad ipsam advolantes, captas necat & devorat: aquilæ impetum supina jacens in terra pedibus arcet donec comprehensam laniet. Cauda, quam huic animali magnam & villis densam natura donavit, à ripis in flumen demissa, pisciculos in eam innatantes capit: & cum paululum de ripa se subduxerit, illam conquassans pisciculos captos excutit in terram ac devorat. Retrorsum etiam gradiendo ad nidulum vesparum accedit, quòd sibi ab earum aculeis metuat: ac cauda in nidulum

Vulpes cauda pisces capit; & vespas, earumq; nidum vastat

immiſſa, veſpas excipit: mox his ipſis refertam extrahens proximo lapidi, vel arbori, vel parieti, vel maceriæ illidit: omnibusque veſpis iſto modo oppreſsis & interfectis nidulum vaſtat atque exinanit. Eadem cauda canem, cum eam inſectatur, hac & illac per ipſius rictum ducta, eludit. At erinaceum, quòd ob metum ſe in globum concludat, ut ſe ſpinis undique poſſit defendere, permingit, eoq; modo ſuffocat. Etenim propter urinam in ipſius os influentem ſpiritum ducendi nullam habet poteſtatem. Ea verò vulpis, quæ canis mediocris, magnitudo eſt. Color autē ſæpe rutilus, priore tamen parte caneſcens: rarò candidus, rarius niger.

Vulpes erinaceum permingit & necat.

FIBER ETIAM ET LUTRA)

De lutra & fibro. CAP. IX.

Fiber etiam & lutra egrediuntur ex riparum cavernis, in quibus latent, & ſe in fluminibus mergunt, ac piſces capiunt, quibus veſcuntur: ſed fructus quoque & cortices arborum comedunt.

Lutra.

Lutra autem à lutando appellatur. Frequenter enim ſe lavat, cum capiendi piſcis cauſa ſe in aquas, imò ſæpe in earum profundum, penitus immergit: quanquam Varro hoc vocabulum à Græcis

Græcis fluxisse, & lytram iccirco nominatam putat, quod succidere dicatur radices arborum in ripa, atque eas dissolvere: ad tantum autem ferè spacium sub aquis natat & currit, anteaquam rursus emergens aerem spiritu ducat, ad quantum arcus intentus sagittam potest emittere: quem aerem si ducere nequit, ut cæteræ animantes gradientes, suffocatur.

Corpus ei latius & longius fele, pedes breves, dentes acuti: a fibro cauda, posterioribus pedibus, pilis differt. Nam lutra caudam habet longam & reliquarum quadrupedum similem: *fiber piscis*: squamis tamen non obductam, admodum pinguem, latam ferè palmam, longam dodrantem. Is si iacet in gradibus, caudam & posteriores pedes demittit in flumen cum frigoribus non conglaciat: si natat, cauda mota quasi remigare solet. Lutræ autem pedes omnes caninis sunt similes: fibri priores caninis, posteriores anserinis. Etenim membranæ quædam digitis sunt interiectæ: itaque hi ad natandum, illi ad eundum magis nati aptique: nam in aqua & in terra vivit. Fibri verò pilus est in cinereo candidus & inæqualis: ubique enim à brevibus duplo longiores existunt:

Lutra à fibro differt, tribus modis.

1. Cauda.

2. Pedibus.

3. Pilis.

ſed lutræ fuſcus nonnihil ad caſtaneæ colorem deflectit, & brevis ac æqualis eſt: utrique verò nitidus, & mollis, quare utriuſque pellibus conciſis fimbrias veſtium ex pellibus nobilibus confectarum, ſolent exornare: *quanquam lutræ pelles longè præſtant fibri pellibus*: attamen fibrorum quoq; pelles inter ſe multum differunt colore: nam aliæ magis, aliæ minus ad nigrum accedunt, quædam ad rufum: nigriores quidem longe cæteris præſtant, minus nigri medium locum tenent, ſubrufi ſunt deterrimi.

Pellis lutræ & fibri.

Fiber autem inprimis providus eſt & ſolers: etenim fruticibus & arbuſculis dente, tanquam ferro, reſectis, ante riparũ cavernas conſtruit parvas quaſdam caſas, & in ijs duos tres've gradus, quaſi quaſdam cameras: ut cum aqua fluminis creſcens inundaverit ripas, poſſit aſcendere, cum decreſcens reſederit, deſcendere. Atque etiam cum arborem jam ferè ſecuit, quoties ictum facit, toties ſuſpiciens conſiderat num ſit caſura. Timet enim, ne, ſi eo ictu concidat, ab ea, priuſquam recedere de loco poſſit, incautus opprimatur. Nec verò minus eſt conſtans in propoſito quàm ſolers: nam quam arborem ad ripas primo elegit ſecandam, eam

Fiber.

non

non mutat, etiamsi longo temporis spacio dissecare non posſit. Hoc animal vocem infantis instar mittit: ipsum autem venamur non modo propter caudam, qua vescimur, & pellem, qua vestimur, sed etiam propter testes, quibus ut medicamentis, utimur: præsertim Ponticis: maximam enim vim habent: *Eos testes castorea* medici nominant. Fibrum enim Græci vocant κάστορα. Sed fiber autore Varrone dictus ab extrema ora fluminis dextra & sinistra, qua maxime solet videri: nam antiqui fibrum dicebant extremum.

Fiber ob tres causas capitur.

Castoreum.

AT MELES EXIT) De mele. CAP. X.

At meles exit è cavernis, & vagatur in sylvis non aliter atque lupus, lupus cervarius, lepus, aper, cervus, tragelaphus, tarandus, alce, platyceros, caprea, ibex, rupicapra, dama, & aliæ plures. Verum hæ animantes in sylvis cubant: posteriores tamen in altissimis montium saxis & rupibus. Meles autem avide appetit mel, ex quo nomen hoc duxit. Magnitudine est vulpis aut canis mediocris, cuius quodammodo speciem præ se fert, maximè canina. Nam e-

Meles.

Melis duo genera.

jus duo sunt genera. Vnum canis instar digitatum: quod caninum vocant: alterum ungulas, ut sues, habet bisulcas, quod idcirco suillum appellant.

Omnibus autem melibus crura sunt brevia, dorsum latum, cutis spissa, cujus in metu sufflatæ distentu, utor Plinij verbis, ictus hominum, & morsus canum arcent: quanquam, si quando cum ijsdem pugnant, valde mordent. Duris vestiuntur villis, qui sunt vel albi vel nigri, & dorsum quidem abundat nigris, reliquum corpus albis, excepto capite, quod alternis quibusdam quasi lineis nigris & candidis à suprema capitis parte ad rictum ductis decoratur. Crassæ autem meles non sunt, pingues tamen: quæ earum pinguitudo inuncta, vel cum alijs infusa, renum dolores sedat. Ex huius animalis pelle collaria fiunt, quæ ex eo melia à Varrone nominantur.

IN RIPIS ETIAM) De halcyonibus & lagapo. Cap. XI.

Halcyones.

In ripis etiam fluminum & *lacuum nidos fingunt halcyones*: nec Aristotelem latuit eas in fluvios ascendere, sed hyeme non occultantur. Avis est non multo

maior

maior passere. Cùm autem marinæ halcyonis corpus totum coloribus cæruleo, viridi, subpurpureo, sed mistis insigne sit, adeo ut neque collum, nec alæ aliquo ex eis carant, & rostrum habeat subviride, longum, tenue, fluviatilis seu ripariæ pectus purpureum est, collum & dorsum in viridi cæruleum, alæ fuscæ, rostrum, ut etiam pedes, cinereũ. Vescitur pisciculis & vermibus.

Lagopus quoque in altißimarum Alpium specubus iuxta glaciem, quæ tota nunquam æstate solis calore liquefacta, vel alijs etiam anni temporibus imbre dilapsa diffunditur, nidos construit & cubat. Ex pedibus, quos habet leporis instar, villis & quidem candidis, non plumis, vestitos, nomen traxit. Ei magnitudo columbæ. Color hyeme candidus, æstate in candido cinereus. Longe non volat, sed Alpibus se tenet. Capta non vivit, nedum mansuescit. Caro huius avis sano palato est bona, ægroto salutaris. *Lagopus.*

AT AVES QUIBUS) De avibus ad pastum noctu accedentibus. CAP. XII.

At aves, quibus oculi diurno spacio sunt hebetes, acres, acutique nocturno, *Aves noctu*

ad pastum accedunt. interdiu latere, noctu ex latebris evolare, & ad pastum solent accedere, quas iccirco nocturnas appellant: quales sunt vespertilio, bubo, ulula, noctua, nycticorax. Verum hæ non solum in tenebricosis montium & rupium cavernis latent, sed etiam in cavis arboribus, in ædificijs desertis, sub tectis domorum magnificarum & templorum & turrium, quæ raro homines succedunt.

Vespertilio. *Vespertilio autem* venatur culices & muscas, exedit pernas, aliasque carnes suillas de trabibus suspensas. Cæteræ aves nocturnæ persequuntur mures, hirundines, aves, scarabeos, apes, vespas, crabrones.

Bubo. Sed *bubo* etiam capit lepusculos & cuniculos. Ea omnium nocturnarum avium maxima ex sono, imò verò gemitu, quem edit, mihi videtur nomen invenisse. Caput habet magnum: corpus anseris magnitudine, breve tamen & quasi decurtatum ac colore varium: rostrum curvum, ungues aduncos, oculos grandes. Huic non multum dissimilis *est ulula*, sed minor: quæ item ex *Ulula.* ululanti voce nomen hoc traxit.

Noctua. Cum his duabus cognationem habent *noctuæ*, sed differunt voce. Nec

enim

enim ululant, verum edunt sonum, quem Aristophanes κικκαβᾶν nominavit. Earum quatuor sunt genera. Unum, cui pluma aurium modo eminet: quod maximum est, & asio vocatur. Alterum eximij candoris in gutture & ventre, alioqui candidis & luteis maculis alternis distinctum. Tertium parvum, quo, ut etiam sequenti, aucupes venantur aves. Quartum minus illo: quod in rupibus saxisq; versatur. Hoc, sicut & proximum, cinereis, & candidis maculis variat, item alternis.

Noctuarum quatuor genera. 1, 2, 3, 4

Nycticorax autem, hoc est, corvus nocturnus, niger est, ut alterius generis corvus, sed eo plerunque minor. *At vespertilio, quæ ex vespere*, quo evolat, nomen hoc duxit, muri nonnihil similis est, quare scitè scripsit Varro: Factus sum vespertilio, neque in muribus planè, neq; in volucribus sum. Alas enim habet & volat, quod ei non convenit cum muribus: sed animalia parit, non ova, in qua re cum volucrum natura non congruit, & foetus uberibus admotos lacte nutrit, cum volucres cibos conquirant undique, quos in os pullorum inserant. Præterea sunt ei dentes, quibus carent volucres. Caput autem simile habet muri vel cani: aures ple-

Nycticorax.

Vespertilionis descriptio.

plerunq; duas, raro quatuor: dentes ſerratos: corpus obſcure fulvis pilis veſtitum, roſtrum tamen nigrum, item aures: alas duas, quæ ut draconis & piſcis volantis, non ex plumis conſtant, ſed ex membranis, & quidem nigris: in utraq; verò ala habet digitum, cui eſt unguis, caudam latam, & ſicut alas, membranaceam, in qua duos pedes, quorum uterque quinos habet digitos uncis unguibus armatos, quibus in parietibus & rimis cavernarum adhæreſcit. Aut enim pendet, aut volat, aut jacet. Quia verò pedes non oriuntur ex corpore, ſed ex cauda, ei eſſe traditur coxendix una. Vocem acutam ut mus non emittit, verum ferè ut catellus latrat. Geminos autem, ut Plinius, volitat amplexa infantes, ſecumq; deportat. Cauda & alis affixa dies aliquot vivit.

Quin etiam *Troglodita*, qui in Africa habitant: interdiu: maxime verò meridie latent in ſuis ſpecubus.

DE PRIMI GENERIS) Animantium, quæ in ſubterraneas cavernas ſuccedunt, & in ijs menſes aliquot gravi ſomno preſſæ ſine

ne cibo consumunt, quatuor esse genera. CAP. XIII.

De primi generis animantibus, quæ noctu vel interdiu in terræ cavernis delitescunt, dormiunt've satis. Abeo ad secundi generis animantes, quæ certo anni tempore, ut dixi, subterraneas cavernas succedunt, & in eis gravi somno pressæ menses aliquot, quasi mortuæ sine cibo consumunt, ac usque ad finem eum latent, dum tepore veris humo excitatæ reviviscunt, & reminiscuntur cibum, quem tanto tempore oblitæ erant, sumere. Tametsi ex his de quibus jam dixi, aliquæ sunt etiam, ut omnis generis quædam bestiæ sunt, in harum numero, ut suo loco dicam. Hæ autem aut terrenæ sunt, aut volucres, aut aquatiles, aut earum vita in terra pariter & in humore.

Animantes in cavernis terræ multos menses sine cibo consumũt.

SED TERRENAS) De terrenis quadrupedibus hyeme aut æstate latentibus, & primùm de muribus Alpinis.

CAP. XIV.

Sed terrenas hic quoque primò persequar. Itaq; multæ quadrupedes hyemis aut æstatis tempore se in specus condunt. *Etenim mures Alpini autumno* subeunt cavernas, in quibus æstate cubare consueverunt. Nam in eis ex foeno, straminibus, sarmentis exstruunt cubilia, in quibus totam hyemem usq; ad ver erinaceorum instar convoluti delitescunt & dormiunt. In una caverna plerunq; septem, aut novem, aut undecim, aut tredecim.

Mures Alpini cavernas subeunt autumno.

Mira verò eis machinatio & solertia, cum foenum ac reliqua iam congresserunt. Unus enim humi stratus erectis pedibus omnib. jacet in dorso, in quem, tanquam in plaustrum quoddam, cæteri ea quæ congesserunt, conjiciunt, & sic onustum, cauda mordicus apprehensa, in specum trahunt, & quasi quodammodo invehunt: ex quo evenit, ut per id temporis detrito dorso esse videantur. Itaque posteaquam cubilia in specu straverint, ipsum aditum atque os ejus sarmentis & terra obstruunt & obturant, ut tuti à ventorum vi, ab imbribus, à frigore esse possint. Tam autem arctè & graviter dormiunt, ut effossi & extracti non excitentur, antequam in sole expositi, vel ad ignem locati concaluerint.

Murium Alpin. industria & solertia.

Hic

Hic mus cognomen ex Alpibus, in quibus nafcitur, traxit: color ei eft, aut fuſcus, aut cinereus, aut rutilus; magnitudo ferè leporis, muris ſpecies ac figura, ex qua mus dicitur. Attamen mutilas habet aures & quaſi decurtatas: priores dentes longos & acutos; caudam amplius duos palmos longam, pedes breves & villis ſuperius refertos: digitos pedum urſinis ſimiles; ungues longos, quibus alte effodit terram: poſterioribus pedibus non ſecus ac rurſus ire ſolet, ac interdum ingredi bipes. Si cibus huic animāti datur, eum in priores pedes ſumit, ut ſciurus: ut idem ſciurus & ſimia erectus uſq; eo in clunibus reſidet, quoad ipſum comederit. Veſcitur non modo fructibus, ſed etiā pane, carne, piſcibus, jure, pulmento: cupidè v. lacte, butyro, caſeo, quę cum mandit, oris ſuctu ſonitum ſicuti porcellus edit. Multum dormit: at cum vigilat, ſemper aliquid agit, ſtramina, foenum, linteola, ralla, cubili ſuo importans: quibus os ita complet, ut nihil amplius capere poſsit: reliquum pedibus accipit & trahit. Cum irritatus exarſerit iracundia, acriter mordet. *Muris Alpini deſcriptio.*

Si quando inter ſe colludunt mures Alpini, ut catelli clamorem faciunt.

Cum

Cum è caverna montivagi egrediuntur ad pastum, ex eis unus aliquis remanet juxta illius aditum, quam potest diligentissimè & longissimè prospiciens. Is cùm vel hominem, vel armentum, vel feram viderit, sine mora clamat: quo audito, undique omnes ad cavernam concurrunt. Eorum autem vox fistulæ acutæ & lædentis aures similis est: qua & mutationem aeris significant, & sibi quid adversi accidere. Dorsum valde pingue habent, quum cæteræ corporis partes sint macræ: quanquam hæc verè nec pinguitudo nec caro dici potest: sed, ut mammillarum caro in bubus, inter eas est medium quiddam. Illud ipsum utile est puerperis, & his quæ ex utero laborant: quibus etiam eorum prodest pinguitudo. Vigilias præterea tollit.

Carnis murium Alpinorum usus.

GLIRES ETIAM) De glire & sciuro. CAP. XV.

Glires in specubus latent.

Glires etiam hyeme non solum in cavis arboribus, de qua re suprà dixi, sed in terræ latent specubus. Glirem autem Aristoteles ἐλειὸν nominat, cinereus ut Albertus scribit est, excepto ventre, qui albicat.

Ab eo differt bestiola paulo minor:

quam

quam alij Græci hac de causa καμψίουρον vocarunt, quod vertat & sursum versus inflectat caudam: aliqui verò σκίουρον, quòd cauda sua villis vestita & conferta, quasi flabello corpus soleat inumbrare: aliqui μυῶ σκίουρον, quòd præterea similitudinem quandam gerat, speciemq; muris: sicut etiam sciurus Fennicus, qui non cauda, non figura & liniamentis totius corporis, non magnitudine, non moribus, sed solo colore differt à nostrate sciuro: nam in candido cinereus est, cum sciurus nostras sit aut rutilus, aut niger: attamen in ea Sarmatiæ parte, quam hodie Poloniam vocamus, invenitur, cui rutilus color mistus cinereo. *Sciuri appellationes.* *Sciurus Fennicus.*

Vtrique autem sciuro, hoc est tam Fennico quàm nostrati, duo inferiores dentes sunt longi: uterq; cum graditur, demissam caudam trahit: quum vescitur cibum in priores pedes, quibus ut mures utitur pro manibus, sumit: posteriorib. & clunibus insistit: vescitur verò faginis glandibus, castaneis, naucibꝰ avellanis, pomis, & similibus fructibus. Hyeme verò conis abietis, piceæ, tedæ, aliarumq; arborum. Vtriq; verno tempore pariunt, & pullos, si quis manum in nidum immiserit, in alium, nam faciunt *Sciuri cibus.*

faciunt plures, transferunt. Vtrorumq; carnem tenues comedunt: divites, quod gustatum sapore quodam ingrato commoveat, raro mandunt. Vtrique quanquam in arboribus versantur, se tamen hyeme non condunt. At gliribus, cum hyberno tempore latent, pro cibo somnus: atque per id temporis pinguescunt. Quare recte de glire scripsit Martialis,

Gliribus pro cibo somnus.

Tota mihi dormitur hyems, & pinguior illo
Tempore sum, quo me nil nisi somnus alit.

Eius autem caro dulcis.

Etsi verò glires vivunt in sylvis, ut non immeritò de eorum penuria in Fundanio, vel De admirandis, Varro his verbis conqueratur, Glis nullus est in sylva mea: tamen veteres gliraria habebant. Quæ qualia debeant esse, idem Varro libro tertio De re rustica tradidit. Et hodie inquibusdam locis sylvestribus incolæ fodiunt tellurem, ut in eius cavernis glires inhabitare, & quando velint eos capere, & in cibo uti possint. Apud Romanos verò gliribus vivarijs in dolijs Fulvius Hirpinus instituit, ut Plinius scriptum reliquit.

Gliraria.

MUS

MUS AUTEM PONTICUS)

De mure Pontico, Norico, Pannonico, Sorice. CAP. XVI.

Mus autem Ponticus, quem hodie vocant Hermelam, hyeme solum in cavis latet arboribus, ut suprà dixi. Est verò totus nivis instar candidus, excepta cauda digitum longa: ejus enim dimidia pars, & quidem inferior, nigerrima. Huic animanti magnitudo sciuri. Persequitur mures & aves quibus vescitur. Ejus pelles in preciosarum numero habent: ut etiam *muris quem Laßicium vocant*: is in cinereo candidus est, nec duobus digitis crassior. *Mus Ponticus.*

At mus Noricus, quem Citellum appellant, in terræ cavernis habitat. Ei corpus ut mustelæ domesticæ, longum & tenue: cauda admodum brevis: color pilis, ut cuniculorum quorundam pilis, cinereus, sed obscurior. Sicut talpa caret auribus, sed non caret foraminibus, quibus sonum ut avis recipit. Dentes habet muris dentium similes. Ex hujus etiam pellibus, quanquam non sunt preciosæ, vestes solent confici. *Mus Noricus.*

Subit etiam terræ cavernas *mus Panoni-*

Mus Pannonicus. *nonicus, cui color subviridis,* species mustelæ, magnitudo muris.

Sorex. *Sorex quoque* mensibus hybernis se condit in terra, in quam caverna ad pedum ferè trium altitudinem descendit: effossus & in sole expositus, ut cæteræ animantes, quæ totam hyemem dormiũt, sensim se movens evigilat: ei dodrantalis longitudo: color æstate rufus, fusco mistus, autumno cinereus: aures, ut Plinius scribit, pilosæ: caudæ caulis infima parte setosus: nec enim totam habet, ut sciurus, pilis confertam & plenam: quin etiam aurium pili sunt perexigui: hic mus sylvestris arbores, sicuti glis & mus Ponticus, & sciurus, scandit: semina pirorum comedit, & nuces avellanas: quare apud Germanos ex corilo nomen invenit.

Alia soricis species. *At alter mus sylvestris sorice* brevior est, etenim semipedalis: color dorso & lateribus murinus, venter albicat: is sub fruticibꝰ terram fodit ad duûm pedum altitudinem: inq; ultima cavernæ, ad pedes quatuor longæ, parte congerit omne genus glandiũ, atq; nucleos cerasorum & prunorum, aliorumq; fructuum, sed maxime nuces avellanas, & quidem optimas: unde etiam ipse ab istius generis nucibus nomen traxit: in caverna

na ferè media nidum pilei instar ex foliis arborum facit, ut aqua, si quando ea stillaverit terra, extrinsecus defluat, ipse siccus intus in nido cubet: ad alterũ etiam cavernæ latus habet foramen, per quod ex ea, cum avellanæ nuces effodiuntur, effugere possit.

MUS AUTEM ARAN.) Mus minor araneus dictus, & major. CAP. XVII.

Mus autem araneus, veluti reliqui mures domestici, non latet in terra: qui ex eo, quod venenum morsu, sicut araneus, inferat, apud Latinos nomen duxit: apud Græcos verò, qui μυγαλῆν vocant, ex eo quod magnitudine, ut Aetius, qui breviter eum describit, autor est, muri sit æqualis, colore mustelæ similis: hoc est in fusco subrufus, excepto ventre, qui ex cinereo albicat, rostellum habet longiusculum: in utraq; maxilla dentes in bifidos mucrones desinunt: quare animantes ab eo morsæ quadrifida vulnera accipiunt: ocellos habet minutulos & nigros: caudam brevem: & in ea brevissimos pilos: ejus morsus in calidis regionibus plerunque est pestifer, in frigidis non est:

Mus araneus.

Quadrifida vulnera mus araneus infligit.

Feles murem, araneum non comedunt. sed ipse divulsus, aut dissectus, *& vulneri impositus proprio veneno medetur.*

Hunc captum feles interimunt, ab ejus veneno abhorrẽtes non mandunt: ut nec murem majorem: qui tametsi etiã ipse hyeme non latet, tamen in valle Ioachimica ex proximis domiciliis in cuniculos ingreditur, & in his versatur: alioqui hyberno etiam tempore in domibus nostris soletq; vagari: mole corporis mustelæ minimæ magnitudinem fere assequitur & exæquat: pilis est subnigris: cauda procera, nec admodum gracili, nec prorsus nuda pilis.

Mus major.

AT IN TERRA) Mustelarum genera quinq; Item: Noerza. PAG. XVIII.

At in terra latent aliquot mustelarum genera: nam plura sunt: est enim *mustela domestica*, quã Græci γαλῆν, Germani ex sono quem edit, viselam nominant. Ea plerumq; est in dorso & lateribus rutila, raro subfulva: in gutture & ventre semper candida: qui nonnumquam tota cãdida reperitur, quanquam rarius. Corpus habet tenue, & in longius ductum: caudam brevem, primores dentes breves, non sicuti mus, longos, appetens est sevi.

Mustela domestica, visela.

Catu-

Catulos nuper natos, quia ab hominibus & nonnullis aliis animantibus eis periculum metuit, ſingulis diebus ore prehenſos alio transfert. Perſequitur mures, depugnat cum ſerpentibus, ſed ut à veneno tuta ſit, prius edit rutam. Vbera vaccarum mordet, quæ quamprimum in tumore fuerint, muſtelina pelle perfricata ſanantur: Hæc muſtela, ſi noſtræ domi vivit, etſi habet ſuas cavernas, non diu ac multum ſe condit: ſi ruri, hyberno tẽpore in ſpecubus latet.

Secundum muſtelarum *genus Germa-ci* Iltiß nominant, ex Græco vocabulo ἴκτις, quo erudita illa gens appellat ſylveſtrem muſtelam: id vero habitat in riparum cavernis, ubi lutræ & fibri more piſces captos comedit: & verſatur in ſylvis, ubi prehendit aves: in domibus, ubi gallinas: quare Plinius eam eſſe domeſticam diceret: quarum ſanguinem exugit: ſed ne clamare poſſint, earum capita primo mordicus aufert. Atq; etiam earundem ova, quæ furari ſolet, ac multa in unum congerere, exorbet. 2. *Sylveſtris muſtela*, ἴκτις.

Aliquanto major eſt muſtela domeſtica, brevior, ſed craſſior *ea ſylveſtri, quæ martes vocatur*: pilos habet inæquales & non unius coloris. Etenim breves ſubfulvi ſunt: longi, nigri: qui ſic ex mul-

tis corporis partibus eminent, ut distinctæ nigris maculis esse videantur: attamen circa os est candida: cum graviter exarserit, male olet. Quocirca nostri vilissimum quodq; scortum, & maxime fœtidum, pellem hujus ictidis solent nominare.

3 *Martes in Saxis.* Stein-Marter. *Tertium mustelæ genus etiam sylvestre, in* saxorum rimis & cavernis cubat, quod à Martiale *martes*, *à Germanis marturus* nominatur. Martialis versus hic est in libro decimo Epigram. ad Maternum.

Venatur capta marte superbus adest.

Ei magnitudo felis, sed paulo longior est: crura verò habet breviora, itemq; breviores ungues. Totum ejus corpus pilis in fulvo subnigris vestitur, excepto gutture, quod candidum est. Hæc mustela, similiter atq; proxima, ingreditur domos & necat gallinas, earũquè sanguinem exugit, & ova exorbet.

4 *Martes in arboribus.* Baum-Marter. *Quartum mustelæ genus item* sylvestre, in arboribus vitam vivit, quod etiam vocabulo martis appellatur. Ea mustela sylvas insolenter & raro deserit: atq; in hoc differt à proxima superiore mustela: & insuper quod guttur ejus lutei sit coloris, & quod reliqui corporis pilus magis sit obscure fulvus.

Hujus

Hujus duo genera quidam esse censent: unum quod in fageis sylvis versatur: alterum quod in abiegnis, atque id sanè est aspectu pulchrius.

Quintum mustelarum genus omnium pulcherrimum & nobilissimum est, *quod Germani Zobelam vocant:* in sylvis, ut martes, de qua jam dixi, degit, ea paulo minor, tota tamen obscure fulva, præter guttur, quod habet cinereum. Mustelæ horum trium generum bonitate cæteris omnibus eo magis præstant, quo plures pili candidi cum fulvis permisti fuerint. *Zobelinæ autem pelles precii majoris sunt,* quam panni auro texti. Etenim comperi optimas quadraginta numero, tot enim uno fasciculo colligari & unà vendi solent, plus quàm milibus nummûm aureorum venisse. *Zobela.*

Omne autem mustelarum genus incitatum grave quiddam olet, sed maxime id, quod Germani Iltiß appellant: omnis *præterea mustelæ stercus aliquantum redolet muscum.* *Mustelarum odor gravis.*

Noerza autem, quæ item in sylvis versatur, magnitudine est martis: pilos verò habet æquales, & breves, atq; colore ferè similes lutræ pilis: sed no- *Noerza.*

erzæ pelles longè lutræ pellibus antecellunt: atq; hæ etiam præstant, si pili candidi cum reliquis fuerint misti. Reperitur hoc animal etiam in vastis & densis sylvis quæ sunt inter Svevum & Vistulam. Etsi verò mustelæ omnes nec hybernis latent mensibus, neq; subeunt terram, tamen earum formas expressi singulas, quod id, ut arbitror, rerum naturalium studiosis utile sit futurum.

AT VIVERRA) De Viverra, Criceto, & Vormela. CAP. XIX.

Viverra. *At viverra quæ cuniculos ex specubus exturbat*, paulo major est mustela domestica. Color ei plerumq; in albo buxeus. Audax hoc animal & truculentum, ac omni ferè animantium generi infensum atq; inimicum natura sanguinem earum quas momorderit ebibit, carnem non ferme comedit.

Istius fermè ferocitatis est etiam agri vastator & Cereris *hostis hamester*, *Cricetus.* quem quidam *Cricetum nominant*: incolæ Palestinæ quondam Græcè ἀρκτόμυν vocarunt: & quidem iccirco quod generis & murini sit, & ursini, cum erectus posterioribus pedibus insistit ob ventris nigrorem esse videatur: existit iracun-

dus

dus & mondax,adeo ut si eum eques incautè persequatur,soleat prosilire,& os equi appetere: & si prehenderit, mordicus tenere. In terræ cavernis habitat, non aliter atq; cuniculus, sed angustis: & idcirco pellis, qua parte utrinq; coxam tegit: à pilis est nuda.

Major paulo quam domestica mustela existit: pedes habet admodum breves. Pilis in dorso color est ferè leporis: in ventre niger,in lateribus rutilus. Sed utrinq; latus maculis albis, tribus numero distinguitur. Suprema capitis pars,ut etiam cervix: eundem, quem dorsum, habet colorem, tempora rutila sunt, guttur est candidum caudæ,quæ ad tres digitos transversos longa est, similiter leporis color. Pili autem sic inhærent cuti, ut ex ea difficulter evelli possint. Ac cutis quidem facilius à carne avellitur,quæ pili ex cute radicitus extrahantur. Atq; ob hanc causam & varietatem pelles ejus sunt preciosæ.

Multa frumenti grana in specum congerit, & utrinq; dentibus, malas enim amplas habet atq; laxas, mandit. Quare nostri hominem voracem hujus animantis nomine appellant, tanquam sciurus prioribus pedibus tum aures & os demulcet,tum cibum sumit; inq; eos

erectus, posterioribus & clunibus insistens edit. Ager Toringiæ eorum animalium plenus, ob copiam & bonitatem frumenti, neq; Misenæ eorum expers est: nam in tractu Pegano & Lipsiano reperiuntur.

Vermela. *Criceto minor est Vormela*, & magis varia. Etenim præter ventrem, qui item niger est, totum corpus albis, subluteis, rutilis, obscurè fulvis maculis decoratur. Cauda etiam, quæ longa sesquipalmum, habet pilos cinereos cum candidis permistos, sed extrema parte nigros.

HACTENVS DIXI) De Hystrice. CAP. XX.

Hactenus dixi de murium & mustelarum ac cognatorum animalium generibus, quorũ maxima pars succedit cavernas subterraneas: *nunc de Hystrice dicam*, qui item in specus secedit, sed æstivis, ut Albertus scribit, mensibus: idq; facit contra morem cæterarum animantium.

Hystrix. Eum Græci quidam ἀκανθόχοιρον vocant, quod & similitudinem gerat speciemq; porci bimestris, & spinis erinacei instar hirsutis sit: attamen caput habet leporino similius: aures humanis, pedes ursinis. Iuba ei est superiore parte e-

te erecta & priore cana, tubercula cutis, quæ ex utraq; oris parte sunt, setas longas & nigras continent ex eis natas: quin reliquæ etiam setæ sunt nigræ. Primæ spinæ à medio oriuntur dorso & à lateribus, sed longissimæ à lateribus, sed potissimum à superiore eorum parte. Quæ singulæ partim nigræ, partim candidæ sunt: longæ duos, vel tres, vel quatuor palmos, quas, si quãdo libitum fuerit, ut pavo caudam erigit, ingressuros in caveam demittit: irritatus iracundia cum cutem intendit, missiles in ora urgentium canum infigit, aut tanto impetu jaculatur, ut in ligno figat. Dentes, ut lepus, quatuor habet longos, duos superiore parte, & duos inferiore.

Noctu vigilat, interdiu dormit. Vescitur pane comminuto, pomis, pyris, rapis, pastinacis, bibit aquam, sed cupidè vinum dilutum. Hoc animal gignit India & Africa, unde ad nos nuper allatum est.

VRSI PRÆTEREA) Vrsi, quomodo, & cur se in latebras conjiciant, Eorumq; sævitia & bonitas. CAP. XXI.

Vrsi

Vrsi quomodo & cur in latebras se conjiciunt.

Vrsi præterea se hyemis tempore in specuum latebras, quas locus ipsis suppeditat, conjiciunt: quòd si nullas suppediret, eas prioribus pedibus pro manibus usi, faciunt ex ramis & fruticibus congestis & ita constructis, ut non recipiant imbres, in quæ latibula supini irrepunt. Timent enim de suis vestigiis, quòd in solo impressa eos venatoribus prodant.

Fœminæ diutius latent, quam mares.

Mares autem quadraginta dies, fœminæ quatuor menses se occultant latebris: quo tempore candidam informemq; carnem & pariunt, & lambentes sensim in propriam formant figuram: quod non ignoravit Ovidius qui canit:

Nec catulus partu, quem reddidit vrsa recenti,
Sed male viva caro est: lambendo mater in artꝰ
Fingit, & in formã, quãtam capit, ipsa reducit.

Abditi primum jacent & arctius dormiũt ad dies quatuordecim, multumq; tam gravi somno fiunt pingues: deinde resident, & priores pedes sugentes vitam ducunt.

Ex latibulis verò rursus prodeunt vere: mares valdè pingues, fœminæ non item, quod pepererint eo tempore, alvum astrictam solvunt aro herba devorata.

Etsi

Etsi verò ursi sunt avidissimi cædis, tamen ursæ in homines si prostraverint se, & os ad terram verterint, ac aerem spiritu non duxerint, nullam adhibent sævitiam: sed eos tantummodo odorantes, tanquam mortuos, quos odisse existimantur, relinquunt: ursi autem hominibus nostris noti sunt: multos enim regiones frigidæ gignunt, & quidem fuscos aut nigros: quorum duo sunt genera, magni & parvi: hi facilius arbores scandunt, & in tantam magnitudinem, in quantam illi, nunquam crescunt. Vtriq; comedunt carnes, mel, fructus arborum, herbas. Mysia verò albos ursos gignit, qui pisces, ut lutra & fiber, capiunt.

Vrsæ non ita sæviunt ut ursi.

Vrsi aut fusci sunt aut nigri.

Albi ursi.

LATET ETIAM IN TERRA) De Lacerta, Chamœleone & Stellione. CAP. XXII.

Latet etiam in terra hybernis mensibus lacerta: quanquam fuerunt qui negarent eam semestrem vitam excedere: reliquis autem anni temporibus, plerunq; in rubetis & spinetis solet versari: ei quadrupedi lingua bifida & pilosa: pedes humiles: verno tempore viridis color: æstivo nonnihil pallidus.

Latet

Lacerta. *Lacerta Chalcidica seu seps.* Latet lacerta Chalcidica, ex æreî coloris lineis, quibus tergum ejus distinguitur, nominata. *Eadem seps vocatur,* quod vulnus, si quem momorderit, putrescat, & sanie malè olente soleat manare: á lacerta viridi non corporis figura differt, sed colore tantum.

Lacerta aquatilis. *Latet lacerta aquatilis, cujus vita* est in aqua & in terra, sed crebrius in aqua. Gignitur in lacunis opacis, quæ in pingui solo sunt, & in quibusdam mœnium fossis. Parva est, & hanc præterea habet ab aliis lacertis in colore dissimilitudinem, quod ipsa vel cinerea sit, vel in cinereo fusca. Testudinis aut salamandræ instar tardius ingreditur. Irritata si exarserit, elata, & quodammodo inflata, rectis pedibus insistit, & terribilis oris hiatu acriter oculis intuetur eum, à quo fuerit lacessita: manatq; sensim lacteo & viroso sudore usq; dum tota fiat candida. Imposita sali caudam movet ac effugere conatur: nam eum quia valde mordet, non potest ferre: statimq; moritur: cùm alioqui verberata diu vivat.

Chamæleon. *Latet chamæleon*, in India & Africa natus: cujus, ut Aristoteles scribit, corpus in lacertæ figuram est formatum. Ejus verò, ut piscium, & latera deorsum ducta

& di-

& directa cum ventre junguntur, & spina lateribus imminet. Facies simillima simiæ, quam Cebum vocant. Cauda prælonga, quæ in tenue desinit, & lori modo permultis implicatur orbibus. Quum steterit, altius quàm lacerta abscedit à terra. Crura non aliter ac lacerta inflectit: singuli ejus pedes divisi sunt in binas partes: quæ talem inter se habent situm, qualem pollex ad reliquam manus partem ei oppositam. Quin etiam hæ ipsæ partes singulæ paululum in digitos quosdam divisæ sunt: priorum quidem pedum interiores tripartito, exteriores bipartito: posteriorum verò interiores bipartito, exteriores tripartito. Digiti præterea unguiculos habent similes unguibus animantium, quibus sunt adunci. Totum corpus crocodili instar asperum. Oculi in recessu cavo positi prægrandes, rotundi, obducti cute simili reliqui corporis cuti: in quorum medio exigua relicta est regio, qua videt: eam nunquam cute operit. Oculum versat in orbem, & aspectum quoquo versus refert, atque ita quod vult, cernit. *Chamæleon nunquam oculos operit.* Mutat colorem inflatus: cùm aliàs niger à Crocodili colore non multum differat: & ut lacerta, pallidus sit,

nigris tamen, ut pardus, maculis est varius. Fit autem mutatio coloris totius corporis. Nam & oculorum & caudæ color non aliter ac reliqui corporis mutatur: motus eius, ut testudinis, admodum tardus est. Pallescit cum moritur, & vita defuncto idem color insidet. Gulam & asperam arteriam eodem situ continet quo lacerta. Carnem nusquã habet nisi in capite & maxillis, cætera membra carent ea. Exiguæ verò caruneulæ sunt maxillis & caudæ, qua parte corpori est agnata. Sanguinem tantummodo habet in corde, in oculis, in loco cordis superiore, & in venis hinc ductis: atq; in his quidem perpaucum. Cerebrum paululum supra oculos positum, & cum eis continens est. Cute autem oculorum exteriore detracta complectitur quiddam, quod velut annulus æneus tenuis pellucet Membranæ multæ ac robustæ & quæ multo præstant his quæ cæteris sunt, distribuuntur in totum eius corpus.

Totus dissectus diu spirat, quòd exiguus admodum motus adhuc in ipsius insit corde. Cum omnes corporis partes contrahit, tum vel maximè costas. Lienem qui conspici posit, nusquam continet, Aura verò perhibetur aliunde Ovi-

Chamæleon caret liene.

de Ovidius non modo dulcis, sed etiam doctus poeta:

Id quoq; quod ventis animal nutritur & aura,
Protinus assimilat, tetigit quoscunq; colores.

Stellio etiam latet, figura similis est lacertæ, natura chamæleonti: nam rore tantum vivit, & præterea araneis & melle. Eum Nicander ἀσκάλαβον, Aristoteles ἀσκαλαβώτην nominat. Etenim illius tergum guttis stellarum instar lucentibus pictum: ex qua re etiam apud Latinos nomen invenit: atq; hoc differt à lacerta. Idem γαλεώτης à Græcis vocatur. Vt anguis exuit vere membranam hybernam tanquam senectutem: eamq; nisi præripiatur, devorat. *Stellio similis lacertæ.*

Quem momorderit stellio, stupor opprimit. In Græcia est venenatus & pestifer, in Sicilia innocens. Adversatur scorpionibus: vitam agit in sepulchris, in cameris, in locis ostiorum & fenestrarum: inclusis in vitro vitam sine ullo cibo supra semestre spacium ducere potest: ejus oculi tantummodo intumescunt, mali præterea nihil tum patitur.

LATET PRÆTEREA) De Salamandra, scarabeis & gryllis. Item, de Salamandra.

CAP. XXIII.

Salamandra. Latet præterea *hybernis mensibus salamandra.* Etenim hoc anno in Februario Snebergi maxima vis salamandrarum ex vicinis locis collecta, agglomerataq; in ultima cuniculi cujusdam, quondam in Molebergum montem acti, tunc verò instaurati, parte fuit reperta. Et proximo anno in Novembri salamandra viva ex fonte finitimæ sylvæ per fistulas in hoc oppidum influxit. Pluviæ autem & subsequens serenitas salamandras excitant ex venis, venulis, commissurisquè saxorum, hanc quadrupedem, cui item lacertæ figura, Germani, quia propter crura brevia tardè graditur, Græco nomine μόλγην appellant. Caput ei magnum, venter lutei coloris, ut etiam ima caudæ pars: reliquum corpus totum alternis maculis nigris & luteis quasi stellatum distinguitur. Propter frigus ignem, nō aliter ac glacies, extinguit: quo modo etiam ova serpentium in ignem camini conjecta, flammam solent extinguere: attamen tam ipsa ova quâm salamandra comburuntur. Salamandra autem irritata saniem evomit lacteam: huic animali nec masculinum nec fœmininū genus falsò putant esse.

Salamandræ generatio.

Salamandra ignem extinguit.

Testudo terrestris. *Testudo etiam terrestris totam hyemem in terra latet*, atque gravi somno pressa

tem,

tempus sine ullo cibo traducit.

Scarabei deniq; rutili, & grylli, qui potissimum noctu strident, aridam fodiũt terram, ut in ejus cavernis cubent æstate: grylli domestici etiam hyeme. Nam *scarabei ante* autummum, imò prius intereunt quam tota æstas effluxerit: *grylli agrestes ante hyemem*, ut etiam aranei nigri, qui similiter habitant in terræ rimis. *Scarabei.* *Grylli.*

At scolopendra in truncis arborum, aut in lignis supra terram locatis, aut in palis terræ infixis, unde nomen invenit, cùm putrescunt, & gignitur & vivit: quibus amotis aut commotis egreditur: alias plerunq; solet latere. Pennis caret, sed plurimos habet pedes: quocirca eam ex Latinis alii multipedam, alii centipedam, alii millipedam vocarunt: si quando repit, partem corporis mediam tanquam arcum intendit: si bacillo aliave re tangitur, se contrahit, Color ei æneus, corpus tenue, nec valde latum, longum verò tres digitos, aut summum quatuor. *Scolopendra.* *(Multipeda.)*

JAM VERO IN VOL.) De Volucribus sese occultantbus.

CAP. XXIIII.

Iã in volucribus, quæ se condũt, hirũdines ripariæ sũt. Etenim plures numero inter se nexæ

hybernis mensibus latẽt in ripis fluminum, lacuũ, paludum, & in litoribus ac scopulis maris: unde accidit, ut piscatores interdum ita inter se jũctas ex aquis extrahant. Dictæ autem sunt ripariæ, quòd soleant ripas excavare, & in eis nidos construere ac latere: has Græci & ἄποδας vocant, non quod sine pedibus sint, sed eorum careãt usu: & κυψέλους, quòd ova pariant & excubent in cistellis longis, ex luto fictis: quibus aditus sit angustus, ut omni anni tempore belluas & homines vitare, hyeme à frigoribus tutæ esse possint.

Hirundines riparier.

Hoc differunt ab hirundinibus tàm agrestibus quàm domesticis, quod tibias habeant hirsutas. Hæ, inquit Plinius, sunt quæ toto mari cernuntur, nec unquam tam longo naves, tamq; continuo cursu recedunt à terra, ut non circumvolitent eas apodes. Cætera genera residunt & insistunt, his quies, nisi in nido nulla: aut pendent, aut jacent.

Hyeme etiam in cavernis montium, etsi non in his solis, latent vespertiliones, bubones, ululæ, noctuæ, hirundines, sturni, palumbes, turtures, merulæ, turdi, alaudæ, upupæ: de qua re suprà dixi,

Jam

JAM EX A AQUATIL.) Aquatiles animantes vbi & quomodo vel hyeme vel æſtate ſe condunt. CAP. XXV.

Iam ex aquatilium quæ latent genere, quædam hyeme, quædam æſtate condunt ſe, vel in cœno, vel in arena: & ita quidem ſe in ijs condunt: ut reliquum corpus totum tegatur, os ſit liberum. Hybernis menſibus hi piſces condunt ſe, primadiæ, hippurus, coracinus, murena, orphus, conger, turdus, merula, perca, thynnus, raia, & omne genus cartilagineum, cochleæ. Æſtivis verò menſibus condit ſe glaucus, aſellus, aurata. Tricenis diebus circa canis ortum purpura, buccinum, pecten, delphinus. *Aquatiles animantes ſeſe condentes.*

JAM IN NUMERO ANIMANT.) De animantibus, quarum vita eſt in terra pariter & in humore, & primum de Crocodilo. CAP. XXVI.

Iam in numero animantium, quarum vita eſt in terra pariter & in humore, latet hyeme lacerta aquatilis, de qua ſuprà dixi. *Quarundam animantium vita in terra pariter & in humore.*

Crocodilus. Crocodilus quoq; specum ejusdem hyemis vitandæ causa succedit, & in eo quatuor latet menses. Frigus adeò molestè patitur, ut etiam, cùm non soleat latere, interdiu in terra versetur: in aqua noctu. Vivus in Europam raró nunc affertur: sed mortuum sæpe pharmacopolæ in officinis suis de trabe suspendunt. Plinius ejus figuram & naturam diligenter est persecutus: quadrupes malum, inquit, & terra pariter ac flumine infestum. Vnum hoc animal terrestre linguæ usu caret: unum superiore mobili maxilla imprimit morsum, aliàs terribile pectinatim stipante se dentium serie. Magnitudine excedit plerunq; duodeviginti cubita. Parit ova quanta anseres, eaq; extra eum locum semper incubat prædivinatione quadam, ad quem summo auctu eo anno egressurus est Nilus. Nec aliud animal ex minori origine in majorem crescit magnitudinē. Et ungnibus hic armatus est, & contra omnes ictus cute invicta.

Trochiles rex avium in Italia. Hunc saturum cibo piscium & semper esculento ore in litore somno datum, parva avis, quæ trochilos ibi vocatur, rex avium in Italia, invitat ad hiandum pabuli sui gratia, os primo ejus adsultim repurgans, mox dentes, & intus

fau-

fauces quoq;, ad hanc ſcabendi dulcedinem quàm maximè hiantes: in qua voluptate ſomno preſſum conſpicatus ichneumō, per eaſdem fauces, ut telum aliquod, immiſſus erodit alvum. In eo erat major peſtis quàm ut uno eſſet ejus hoſte natura contenta. Itaq; & delphini immeantes Nilo, quorum dorſo, tanquā ad hunc uſum, cultellata ineſt pinna, abigentes eos præda, ac velut in ſuo tantum amne regnantes, alioquin impares viribus ipſi, aſtu interimunt: in ventre mollis eſt tenuisq; cutis crocodilo, ideo ſe ut territi immergunt delphini, ſubeuntesq; alvum illa ſecant ſpina.

Ichneumon Crocodili alvum erodit.

Quin & *gens hominum eſt huic belluæ adverſa* in ipſo Nilo: Tentyritæ ab inſula in qua habitat appellata. Menſura eorum parva, ſed præſentia animi in hoc tantum uſu mira. Terribilis hæc contra fugaces bellua eſt, fugax contra inſequentes: ſed adverſum ire ſoli hi audent: quinetiam flumini innatant, dorſoq; equitantium modo impoſiti, hiantibꝰ reſupino capite ad morſum, addita in os clava, dextra ac læva tenētes extrema ejus utrinq;, ut frenis in terram agūt captivos. Ac voce etiam ſola territos cogunt evomere recentia corpora ad ſepulturam: itaq; ei uni inſulæ crocodi-

Tentyritæ.

li non adnatant, olfactuq; ejus generis hominum, ut Psyllorum serpentes fugantur: hebetes oculos hoc animal dicitur habere in aqua, extra acerrimi visus. Quidam hoc unum quandiu vivat, crescere arbitrantur: vivit autem longo tempore.

LATENT ETIAM HYB.)
De ranis, & rubeta seu bufone ejusq; generibus.
Cap. XXVII.

Ranæ hyeme latent. Latent etiam hybernis mensibus in terra ranæ omnes, exceptis temporariis istis minimis, quæ pallent in cæsio, & reptant in viis & litoribus. Hæ enim, quia non ex semine, quod effundunt mas & fœmina, cum complexu venereo junguntur, sed ex pulvere æstivis imbribus madefacto oriri videntur, diu in vita esse non possunt. Itaq; conditur viridis illa parva, quam Græci καλαμίτην *Rana viridis.* vocant, quòd in arundinetis agere consueverit: quanquam etiam arbores scandit, atq; in herbis vivit: & βρέξωντα, quæ sono sui generis pluvias futuras prænunciet. Nec enim, ut Plinius à nobis dissentiat, est muta & sine voce. Verno tempore sæpenumero videtur ex terra eminere media, media adhuc in ea latere. Con-

Conduntur virides ranæ, quæ versantur in fluviis atque piscinis, & hæ quidem vocales & edules sunt. Conduntur sublividæ & subcinereæ, quæ item in fluviis, lacubus, paludibus, lacunis vivunt: hæ partim vocales & edules sunt, partim mutæ & non eduntur: quas hybernis mensibus in terra latere argumento est, quod verno tempore non tantum earum fœtus conspiciantur in lucanis, sed ipsæ veteres etiam ranæ. Quare verum non est, quod scribit Plinius, mirumq; : semestri vita resolvuntur in limum nullo cernente, & rursus vernis aquis renascuntur, quæ fuere natæ: perinde occulta ratione, cum omnibus annis id eveniat. *Ranæ sublividæ.*

Fœtus autem earum sunt primo carnes parvæ, rotundæ, nigræ, dein oculis tantum & cauda insigens: quas Nicander, quia caudam movent, μολουρίδιας, Aratus quia rotundæ, γυρίνους, alii Græci βατραχίδας, quasi dicas, ranunculos, nominant: quorum postea figurantur pedes, priores ex pectore, in posteriores finditur cauda. *Fœtus ranarum.*

Conduntur præterea ranæ pallidæ in hortis agentes, que non comeduntur, & mutæ sunt. *Ranæ pallidæ.*

Rana rubeta. *Bufo.* Conditur deniq; rana rubeta, quæ ex rubis, sub vepribus enim versari solet, nomen invenit: eam Poeta bufonem, Græci Φρυνον vocant. Duo ejus genera, altera terrena, quæ in domibus & vepribus agit: altera palustris, quæ sui generis vocem edit. Vtraq; venenata est, utraque, si bacillo sæpius verberetur, inflato corpore virus primò è clunibus exprimit longius, deinde sudat: cujus sudoris lactei guttæ admodum gravis & putidi sunt odoris: ac cùm occiditur, ferè opii: occiditur autem difficulter. Rana rubeta mulieres veneficæ quondam ad veneficia sunt usæ.

MUS QUOQUE AQUAT.)

De mure aquatili, cancro fluviatili, & Scorpio. CAP. XXVIII.

Mus aquatilis *Mus quoq; aquatilis hyeme latet in* ripis fluminum & rivorum, quos incolit. Ei magnitudo ferè muris sylvestris: mordet sæpe manus piscatorum, cùm ex foraminibus riparum cancros fluviatiles extrahũt. Vorat pisciculos parvos, quales sunt gobiones fluviatiles, & alburni: vorat fœtus lucii, salaris, barbi, aliorũq;: quocirca ubi magna vis id genus murium nascitur, rivis vastitatẽ solet inferre.

Can-

Cancer etiam fluviatilis succedit ripas, & in eis hyeme latet, æstate plerumq; versatur. *At scorpius, quem* Germania tantummodo importatum novit, in terra non latet: quanquam in parietibus, & sub lapidibus. *Cancer fluviatilis.* *Scorpius.*

JAM DENIQUE IN SERP.)

De serpentium generibus, & primùm de Vipera, Dipsade & prestere. CAP. XXIX.

Iam deniq; in serpentium genere, qui maxima ex parte terreni *sunt, vipera, quam* Græci ἐχίδνην vocant, hyeme subit saxa. Ea longa est circiter cubitum, & maculis in cinereo fuscis plena. Primò intra se ova parit: dein his exclusis vivas animantes: nec tamē ipsa catulos singulos, ut Nicander & Plinius scribūt, diebus singulis parit viginti numero: nec cæteræ tarditatis impatientes perrumpunt latera occisa parente: sed ut nobis serpentiū speculatores affirmant, uno eodemq; die catulos plerunque undecim, plures interdum parit: & quidem eis superstes vivit. Nec verò etiam cum viperæ commiscent corpora, sibi circumvolutæ, fœmina maris caput insertum in os, ut idem Plinius scribit, abrodit voluptatis dulcedine. Non *Vipera.* *Viperæ non perrumpunt latera parentis.*

Non autem mas modo, verum etiam fœmina natura brevem & quasi mutilam habet caudam, non ut pleræq; aliæ serpentes longam: sed differunt inter se: etenim fœminæ caput est latum, maris acutum. Cùm hic mordet ac virus evomit, apparent vestigia duorum dentium acutorum: cum illa, plurium.

Vipera lac appetit & Vinum.

Vipera non lac modo, sicuti serpentes cæteri, appetit, sed etiam vinum: unde eam Galenus in lagenam vino refertam irrepsisse scribit, & vinum, in quo demortua fuit, potum elephantiasi laboranti remedium fuisse.

Adversus Viperæ morsum remedia.

Contra ad viperæ morsum multa faciunt, sed maximè taxi arboris succum facere, Claudium Cæsarem edicto proposito Romanos admonuisse Suetonius scriptum reliquit.

Dipsas.

Minori autem viperæ dipsas est assimilis: quæ cùm alba sit, ejus caudam duæ nigræ distinguunt lineæ: à se ictum inexplebili siti enecat, ex quo nomen hoc duxit: quin ipsa multum sitit: quocirca immoderato potu onustæ umbilicus rumpitur, & gravius onus effundit: hanc alii causonem, alii presterem vocant: sed prester, ut corporis forma non multum à dipsade differat, effectu differt: nam ictum extemplo sideratione

Prester.

qua-

quadam reddit immobilem ac mente alienum: mox pilis defluentibus cum pruritu ac ventris solutione absumit.

CONDIT ETIAM SE) De Cæcula, amphisbæna, scytale. CAP. XXX.

Condit etiam se in terra, sicuti cæteræ serpentes ferè omnes, vel in saxorum rimis cæcula: ex cæcitate apud Germanos quoq; nominata: quam eadem de causa Nicander τυφλῶπα, alii τυφλινον nominant: etenim caret oculis. τυφλῶψ seu cæcula.

Color ei in luteo viridis, & valde splendens: nunquam pede est longior, nunquam digito crassior, ea sicut & vipera, ut Columella scriptum reliquit, sæpe cùm in pascua bos improvidè supercubuit, lacessita onere morsum imprimit.

Quin amphisbæna hebetes habet oculos: item parva est & tarda, sed biceps: quare alterutro capite, cum ei libitum fuerit, progredi vel regredi potest: unde ei nomen impositum: densæ cuti color insidet terræ, variis notis destinctæ. Huic non dissimilis est figura scytale, sed pinguior: ei crassitudo quæ manubrio ligonis, longitudo quæ lumbrico: hæc cum verno tempore Amphisbæna. Scytale.

exuvias posuerit, fœniculo, ut cæteræ serpentes, non vescitur: ex baculo nomen invenit.

TUM HYBERNIS) De natrice, calabrico serpente & bois.

CAP. XXXI.

Natrix.

Tum hybernis mensibus in cava terræ vel loca saxosa ingreditur natrix à natando appellata: qua de causa à Græcis ex aqua ὕδρος nominatur & χέρσυδρος, quòd & in terra & in aqua versetur. Nec assentior Lucano, qui chersydrum à natrice distinguit. Est autem infesta & inimica ranis: forma non differt ab aspide, sed colore, qui ei plerunq; in cinereo candidus.

χέρσυδρος.

Calabricus serpens.

Ex natricum genere videtur esse Calabricus serpens, etiamsi maculosus sit. Eum his versibus describit Virgil.

Est etiam ille malus Calabris in saltibus anguis,
Squammea convolvens sublato pectore terga,
Atq; notis longam maculosus grandibus alvum,
Qui dum amnes ulli rũpuntur fontibus, & dum
Vere madent udo terræ, ac pluvialibus austris
Stagna colit, ripisq; habitans hic piscibus atram
Improbus ingluviem, ranisq; loquacibus explet.
Postquã exhausta palus, terræq; ardore dehiscũt
Exilit in siccũ, & flammantia lumina torquens
Sævit agris, asperq; siti atque exterritus æstu.

Ex

Ex natricum præterea genere sunt boæ, in tantam, Plinio autore, amplitudinem exeuntes, ut, divo Claudio principe occiso in Vaticano, solidus in alvo spectatus sit infans. Aluntur primò bubuli lactis succo, unde nomen traxêre; sunt enim nihil aliud quam domesticæ atq; vernaculæ natrices. *Boæ.*

ASPIS AUTEM) De aspide, & conjugis. CAP. XXXII.

Aspis autem est longitudine quatuor pedum, crassitudine hastæ. Color eis non unus: nam aliis squalidus, aliis viridis, aliis cinereus, aliis igneus: maxime Æthiopicis. Oculi hebetes in temporibus, & juxta supercilia carunculæ instar calli eminent: quocirca quasi somniculosa nictare non cessat, sed animantium strepitu facile excitatur. Gignit eam Ægyptus, Æthiopia, & cæteræ regiones Africæ. *Aspis.*

Conjugæ, utor Plinii verbis, fermè vagãtur, nec nisi cum compare vita est: itaq; alterutra interempta, incredibilis alteri ultionis cura: persequitur interfectorem, unumq; eum in quãtolibet populi agmine noticia quadam infestat: perrumpit omnes difficultates, permeat spa- *Conjugæ.*

ſpacia, nec niſi amnibus arcetur, aut præceleri fuga. Huic ichneumon, qui ſimilis eſt muſtelæ, maximè inimicus eſt: itaq; non tantum ejus ova perdit, ſed ipſum etiam interficit: etenim mergit ſe limo ſæpius, ſiccatq́; ſole: mox ubi pluribus eodem modo ſe coriis loricavit, in dimicationem pergit: in ea caudam attollens ictus irritos averſus excipit, donec obliquo capite ſpeculatus invadat in fauces.

Ichneumon conjugam interficit.

Aſpidum tria genera.

Aſpides autem Galenus in tria diſtribuit genera, in chelidonias, cherſias, ptyadas, à ſputo cognominatas: quas Cleopatra ſibi admovit.

Aſpis verò frigoris impatiens hyeme incluſus atque abditus latet in arenis: ut in cavis fagis aut quercubus dryinos: ex qua re nomen invenit: eam alii, ut Nicander ſcribit, hydron, alii chelydron nominant: eſt enim natrici, quod ad caput attinet, ſimilis, ſed tergum habet cinerei coloris, craſsitudo & longitudo ei eſt mediocris anguillæ, graviter olet: ranarum fœtus, cauda inſignes perſequitur: & eā contra muſca magna.

AT

AT CERASTES EX) De cerafte, Hæmorrhoo, ſepedone, porphyrio, Cenchri. *Ceraſtes.*

CAP. XXXIII.

At ceraſtes ex cornibus nomen traxit, quæ modo cochleæ inſtar gemina, modo quadrigemina geſtat in capite: & quidem corporea: quorum motu, ſcribit Plinius, reliquo corpore occultato ſolicitat ad ſe aves: alioqui in viperæ figuram eſt formatus. Color ei ſqualidus: in frigidis tamen regionibus reperitur natrici ſimilis figura & colore: quamquam raro in his reperiri ſoleat. In Africa in arenis & orbitis verſatur: alibi plerunque in ſaxorum rimis, in quibus latet hyberno tempore.

Ariſtoteles colubros etiam Thebanos tradit eſſe cornutos. *Colubri Thebani cornuti.*

Hæmorrhoos quoq; in ſaxorum rimis agit: ea ex profluente ſanguine nomen invenit: nam cùm aliquem momorderit, prima nocte ſanguis erumpit ex auribus, ex naribus, ex ore unà cum ſputo, ex veſica cum lotio, ex vulneribus cum ſanie: gingivæ præterea & caro quæ eſt ſub unguibus, ſtillant ſanguine, ſi quẽ hæmorrhois fœmina momorderit: eſt autem longa pedem, non *Hæmorrhous.*

multum crassa: etenim paulatim in tenuem caudam desinit: colore aliàs cinereo, aliàs candēte. Ex fronte eminent duo cornicula, item corporea: oblique ac tardius serpit, & perinde strepit ac si arundines transeat.

Sepedon. Huic figura similis est sepedon, sed corniculis caret, & contrarie serpit: color ei ruber: à putredine, quæ mox sequitur ejus morsum, nominatur.

Porphyrus. Porphyrus verò, ut Ælianus tradit, palmi est magnitudine, capite candidissimo, reliqua purpureus, morsu innocuus, quippe qui dentibus careat. Invenitur in Indiæ locis vadosis: captam cauda suspendunt, viventisq; ex ore defluentem liquorem legunt in vasculis æreis: alterum item ex jam defuncto liquorem nigrum similiter in altero vase excipiunt: & hic quidem in esculentis seu poculentis, cum grano sesami datus tabe lenta unius, vel etiam duorum annorum spacio paulatim enecat: ille more cicutæ statim absumit.

Acontias. Acontias autem, quem Latini jaculum appellant, ex arborum ramis se jaculi instar vibrat in animal, quod præterierit: ex qua re nomen reperit: nec verò solum desuper se vibrat in animal, sed humi positus, si fuerit lacessitus,

jaculi

jaculi modo corpus intorquens eminus petit adversarium.

Cenchris verò, quam Nicander cenchrinen vocat, ex eo quòd crebris maculis milii semini colore similibus, sit interstincta, nomen invenit, de qua Lucanus: *Cenchris.*

Quam semper recto lapsurus limite cenchris
Pluribus ille notis variatam tingitur alvum,
Quàm parvis tinctus maculis Thebanus ophites
Concolor exustis atque indiscretus arenis.

AT BASILISCUS) De Basilisco Dracone & teredine.

Cap. XXXIIII.

At basiliscus ex eo nominatur, quòd ita veneno cæteris serpentibus præstet, ut rex purpura & insignibus regiis iis, in quos dominatur, antecellit. Caput ei acutum, & color flavus. Cyrenaica, inquit Plinius, hunc generat provincia, duodecim non amplius digitorum magnitudine, candida in capite macula, ut quodam diademate insignem: sibilo omnes fugat serpentes: nec flexu multiplici, ut reliquæ, corpus impellit, sed celsus & erectus in medio incedens, necat frutices: non contactos modo, verum & afflatos: exurit herbas: rumpit saxa: talis vis malo est. *Basiliscus.*

Creditum quondam ex equo occiso hasta, & per eam subeunte vi, non equitem modo, sed equum quoque absumptum. Huic tali monstro, sæpe etenim enectum concupivere reges videre, mustelarum virus exitio est: adeo naturæ nihil placuit esse sine pari. Injiciunt eas caudis facile cognitis sola tabe: necant illæ suo odore, moriunturq; : & naturæ pugnam conficiunt.

Basiliscum ex ovis gigni. Basiliscum ex volucrum, quas Ægyptii vocant ibes, ovis gigni theologus Cassianus affirmat: vulgus ex ovo, quod gallus peperit, monstrose asserit nasci: qualis fuisse perhibetur is, qui Zuiccæ aliquot homines necavit suo veneno, qua de causa dominus cellæ, in qua erat, fores clausit, muroq; sepsit.

Draco. Sequitur draco à videndo appellatus, quod acrius cernat quam cæteræ serpentes, quocirca veteres eum thesauris custodiendis præfecerunt: atque in ipsius custodia ædes sacras, adyta, oracula posuerunt. Est autem ad adspectum pulcher: etenim totus niger, præter ventrem, qui subviridis, & carnem sub mento, aarbæ speciem præ se ferentem, quæ felle tincta videtur esse. Pellis utriusque supercilii pinguis. Ipse præterea utrinque triplici dentium ordine

dine decorus: nec tamen multum mordens. Pugnat in aliis regionibus cum aquila, in Africa & India cum elephante. Nam in his sunt vicenûm cubitorum.

Duplex ejus genus: unum terrenum, quod jam descripsi: alterum volucre, cui ut vespertilioni membraneæ sunt alæ. Id ex vastitate Libyæ vento Africo invehi in Ægyptum Cicero scriptum reliquit. Vnum habui longum sesquipedem, quo Ambrosiũ Fibianum donavi: cui ferè color crocodili fuit: de hoc scribit Lucanus: *Draco terrenus & volans.*

Vos quoque qui cunctis innoxia numina terris
Serpitis aurato nitidi fulgore dracones
Pestiferos ardens facit Africa, ducitis altum
Aera cum pennis, armentaq; tota sequuti
Rumpitis ingentes amplexi verbere tauros,
Nec tutus spacio est elephas, datis omnia letho,
Nec vobis opus est ad noxia fata veneno.

Vt autem ex dictis serpentibus aliqui in calidissimis regionibus nullo anni tempore necesse habent latere, certe in arenis & rimis saxorũ solent cubare.

Serpit etiam teredo. caret enim non modo pennis, verum etiam pedibus: sed ea cui color æneus sub lignis putridis & nascitur & latet, ac plerunq; juxta scolopendram invenitur. Crassitudo ipsi est *Teredo.*

est minimæ pennæ anserinæ, qua utimur, cùm scribimus: longitudo scolopendræ, sed teres est.

HACTENUS DE ANIMANT.)

De animãtibus subterraneis propriè sic dictis, quæ perpetuò in terra occultè latent: & primùm de iis quæ in terra sicca vivunt. Cap. XXXV.

Animantia in terra perpetuò occultè latentia.

Hactenus de animantibus, quæ in terra latent, aliquo anni tempore: nunc dicam de subterraneis proprie vereq; sic dictis, hoc est, de his quæ intra terram gignuntur, & semper ferè sub terra, quasi defossæ vivunt.

Hæ autem ipsæ partim in terra sicca, partem in humida, vel in aquis subterraneis vitam agunt.

Primi generis sunt talpa, mus, rana venenata, spondylis, ascarides, lumbrici, cochleæ cavaticæ: alterius, pisces subterranei: quas animantes singulas persequar: & primò quidem talpam. Ea quadrupes est non multum dissimilis muri, cæca tamen: quanquam oculo-

Talpæ.

rum

rum effigies, scribit Plinius, ineſt, ſi quis prætentam detrahat membranam, quæ non eſt pilis veſtita: liquido audit etiam obruta, extracta ex terra, quam in arvis, magis verò in pratis & hortis, paſſim egerit, diu non poteſt vivere: crura habet brevia, quare tarde graditur: digiti, qui in prioribus pedibus ſunt quini, in poſterioribus quaterni, omnes acutis unguiculis, quibus terram fodit, armantur: pilos autem habet nigrore ſplendido inſignes: qui catulis earum ſunt albi. Veſcitur ranis, etiam venenatis, lumbricis, radicibus frugum & herbarum: ex earum pellibus pileoli & cubicularia fiunt ſtragula.

Sequitur mus ſubterraneus, *quem alii* agreſtem vocant. Servius à Cicerone nitedulam putat nominari. De hoc Virgilius: *Mus Subterraneus.*

ſæpe exiguus mus
Sub terris poſuitq́, domos, atque horrea fecit,
Aut oculis capti fodere cubilia talpæ,
Inventusq́; cavis bufo, & quæ plurima terræ
Monſtra ferunt.

Duplex autem eſt, minor ſcilicet & major, ille non multo major exiſtit domeſtico mure minore: hic non multo minor domeſtico mure majore: quin caudam ut ille longam habet ac craſſam. Corrodit, imo exeſt, planeq; interdum conſumit radices lupuli, paſtinacæ, rapi, & reliquorum leguminum. Vaſtat meſſes: verum ea peſtis non ſemper in terra latet, ſed nonnunquam egreditur, etſi rarius.

Rana Venenata. Contrà rana venenata, quam metallici noſtri ex ignis colore, qui inſidet ei, πυρίφρυνον, ſuo tamen vocabulo nominant, in ſaxis perpetuo quaſi condita & ſepulta latet. Altius intra terram gignitur, & reperitur modò in venis, venulis, ſaxorum commiſſuris, cum hæ excavantur: modo in ſaxis ita ſolidis, ut nulla foramina, quæ videri poſſint, appareant, cum cuneis dividuntur. Quo ſanè modo & Snebergi & Mannisfeldi fuit inventa. Ea ex ſubterraneis cavernis elata in lucem primò turget ac inflatur, mox de vita decedit: talis etiam rana crebrius reperitur in Galliis Toloſæ, in ſaxo arenaceô rubro, candidis maculis diſtincto, ex quo molæ fiunt: quocirca id genus ſaxa omnia, priuſquam molas ex eis faciant, perfringunt: quod ni fe-

ni fecerint ranæ, ubi cum molæ versantur, concaluerint, inflari solent, & disruptis molis frumenta veneno inficere.

Spondylis autē vermis intra terram reperiri solet, ita circa radices convolutus ut verticilli, quod Græci σπόνδυλον vocant, speciem præ se ferat: unde nomen invenit. Ei longitudo & crassitudo minimi digiti: caput rubrum, reliquum corpus album, nisi quod superne sit aliquantum nigrum, ubi cibo, quem sumit, turget: quæ hortorum pestis, cùm nec careat pedibus, nam sex habet, nec serpat, tamen Plinius scribit, genus id serpentis est, radices herbarum totas consumit, fruticum corticem, quo radices eorum obducuntur, tantum abrodit: quinetiam edit radices cucumeris asinini, chamelæontis nigri, centauri, peucedani, aristolochiæ, vitis sylvestris: cum aliud animal eas non attingat. *Spondylis vermis.*

Sed vermis quadrupes, qui in Majo natus in agris currit, item crassus & longus minimum digitum, ut pulices terreni, in leguminibus orti, supra terram vivit. Ei corpus molle, nigror splendidus, gracilis isthmus: posterior corporis pars pectori adhæret: cùm in manus sumitur, eas pingui liquore inficit, pellit urinam, sed unà sanguinem. *Vermis quadrupes.*

Ascarides. *Ascarides etiam, qui sunt vermes parvi,* non unius & ejusdem coloris: nam alii candidi, alii lutei, alii nigri, sæpius aratro excitantur. Reperiuntur autem plures in unum aliquem locum congregati: hi vastant sata: etenim validas segetes radicibus subsectis enecant.

Lumbrici. At lumbricos, qui item intra terram gignuntur, & oculis carent, pluviæ eliciunt. Concinne igitur Euclio Plautinus, solicitus de aula auro referta, inquit ad Strophylum:

Foras, foras lumbrice, qui sub terra erepsisti
Qui modò nusquam comparebas, nunc (modò, quom compares, peris.

Cochleæ cavaticæ. Quin cochleæ in Balearibus insulis, ut Plinius scribit, cavaticæ appellatæ, non prorepunt è cavis terræ, neq; herba vivunt, sed uvæ modo inter se cohærent.

ACCEDO NUNC) De animantibus in humida terra, vel in aquis subterraneis vitam agentibus. CAP. XXXVI.

Accedo nunc ad alterum animantium subterranearum genus, quod in humidis terræ locis agit: etsi lumbrici etiam

tiam & aliæ quædam id genus animantes in terra tantum gignuntur humida. *Animantes in humida terra degentes.*

Pisces autem fossiles duorum generum inveniuntur, sed intra terram nonnihil teretes ut anguillæ, verum pelle carent tenaci: squamis etiam, ut & gobii: duramq; nec admodum jucundam gustui habent carnem: majores crassi sunt ferè duos digitos: minores, digitum: illi longi circiter palmos quatuor: hi tres. Sonum edunt acutum. Eos pharmacopolæ in vitrum inclusos de trabe suspendunt, ut spectaculum hominibus præbeant: longoq; tempore alunt pane & aliis quibusdam. *Pisces fossiles.*

Ex fluminibus autem, quæ currunt in locis paludinosis, egressi per riparum venas longius penetrant in terram: & interdum in proximi oppidi cellas usq; subterraneas, in quibus vinum vel cervisia solet condi. *Pisces per venas riparum penetrare in cellas.*

Attamen Theophrastus scribit eos reperiri juxta fluvios, & in aquosis locis. Cùm enim terram inundaverit aqua, ex alveis fluminum egredi in eam: cùm decreverit, relinqui in exiccata. Itaque persequentes humorem terram subire: dein humore exiccato in halitu permanere: non aliter ac pisces inter cæteros salitos vivunt.

In la-

In latebris autem propter sensuum stuporem eos nihil sentire, sed effossos se movere. Non dissimile ait accidere in Ponto his piscibus quos glacies complectitur. Etenim non prius sentiunt & moventur, quàm in patinam injecti coquantur.

Verùm, nullos pisces, qui in fluviis versari semper soliti fuerunt, post inundationes in locis siccis relictos subire terram videmus, sed omnes de vita decedere.

Pisces fossiles ubi inveniantur.

Itaq; cùm fossiles pisces etiam in locis, quos non inundavit aqua, soleant inveniri, certum est illos eò per venas & venulas penetrare. De qua re ultra Albim Orteranti, quod oppidum est ad Polsenicium fluvium, diligenter adverti. Nec in Germania modò fossiles pisces reperiri solent, sed etiam post Pyrenæos montes, ut Polybius in quarto & trigesimo historiarum libro tradit, usq; ad Narbonem amnem planicies est: per quam fluvii feruntur Iliberis: & Roschinus, fluentes propter urbes ejusdem nominis, quæ habitantur à Celtis. In hac igitur planicie sunt pisces fossiles dicti. In ea enim est terra tenuis, & multũ nascitur gramen: sub quod altitudine duorum vel trium cubitorum per are-

Planicies ad Narbonem amnem.

nam

nam aqua fluminum dilatata fluit. Et si quando inundaverint cum aqua, pisces terram subeuntes alimenti causa, nam mirifice appetunt graminis radices, planiciem efficiunt refertam piscibus subterraneis, quos incolæ effodiunt.

Inveniuntur etiam fossiles pisces circa Heracleam, & in multis Ponti locis, ut Thoophrastus memoriæ prodidit: in Paphlagonia, ut Eudoxus.

Quin, si Senecæ credimus, sub terra sunt stagna obsessa tenebris & locis amplis. Animalia quoq; illis innascuntur, sed tarda & informia, ut in aere cæco, pinguiq; concepta, & in aquis torpentibus facta. Et, ut idem scribit, in Caria circa Idimum urbem, cùm exilisset unda, periere quicunque illos ederant pisces, quos ignoto ante eum diem cœlo novus amnis ostendit. *Stagna sub terra, quibus animalia innascuntur.*

POSTREMO IN SUBTER.

De Dæmonibus in fodinis metallicis versantibus.

CAP. XXXVII.

Postremò in subterranearum animantium, seu, quod placet theologis, substantiarum numero haberi possunt Dæmones, qui in quibusdam versantur fodinis. Eorum autẽ duplex est genus. *Dæmonum in fodinis metallicis versantium duplex genus.*

Sunt

Dæmones truculenti & sævi.

Sunt enim truculenti & terribiles aspectu: qui plerunq; metallicis infesti atq; inimici sunt. Talis fuit Annebergius ille, qui operarios duodecim amplius flatu interfecit in specu, qui corona rasacea appellatur. Flatum verò emittebat ex rictu. Equi enim specie habentis procerum collum & truces oculos dicitur visus. Ejusmodi etiam fuit Snebergius, nigro cucullo vestitus, qui in fodina Georgiana operarium è solo sublatum in superiore loco maximæ illius concavitatis quondam feracis argenti collocavit, non sine corporis attritu. Certe Psellus, cùm sex genera dæmonum definiat numero, hoc cæteris pejus esse dicit: quòd ipsi amictui sit crassior materia. Quidam philosophi hos & similes dæmones, qui nocentes sunt, & natura improbi, nominant brutos, & rationis expertes.

Dæmones placidi & mites Cobali Vocantur.

Sunt deinde mites, quos Germanorum alii, ut etiam Græci, vocant Cobalos, quòd hominum sunt imitatores. Nam quasi læticia gestientes rident: & multa videntur facere, quum prorsus nihil faciant.

Virunculi montani.

Alii nominant virunculos montanos, significantes staturam, qua plerunq; sunt: nempe nani tres dodrantes

tes longi. Videntur autem esse senecio-nes & vestit more metallicorum, id est, vittato indusio, & corio circum lumbos dependentes induti.

Hi damnum dare non solent metallicis, sed vagantur in puteis & cuniculis: & quum nihil agant, in omni laborum genere videntur se exercere: quasi modò fodiant venas, modò in vasa infundant id quod effossum est: modò versent machinam tractoriam.

Quanquam verò interdum glareis lacessunt operarios, rarissimè tamen eos lædunt. Nec lædunt unquam, nisi prius ipsi cachinno fuerint, aut maledicto lacessiti. Itaq; non admodum dissimiles sunt dæmonibus, cùm his qui rarò hominibus apparent, quum quotidie partem laboris domi perficiant, & curent jumenta: quibus quod nostri causa benignè faciant, generiq; hominum sint, aut saltem esse videntur amici, nomen imposuerunt Germani, Gutelos enim appellant: tum Trullis vocatis: quos sexu tam mulieris quàm viri ementito, cùm apud alias nationes, tùm maximè apud Suionas in famulatu fuisse ferunt.

Dæmones domestici Guteli dicuntur.

Sed

Dæmones montani. Sed dæmones montani potiſsimum laborant in his ſpecubus, è quibus metalla effodiuntur jam, vel ea effodi poſſe ſpes, eſt. Quocirca metallici non deterrentur à laboribus, ſed omen inde capientes alacriori animo ſunt, & vehementius laborant.

ANI-

ANIMANTIUM NOMINA LATINA GRÆCAQUE GERMANICE REDdita, quorum author in lib. De Subterraneis animantibus meminit.

GRADIENTIUM.

Alce elch / elend
Aper, Wildschwein
Araneus niger, schwartze Feldspinne
Asellus, Scheffiein/ in fenestris versatur
Βατραχίδες, Kaulkroten.
Blattæ, Wibel / Brodtwibel / Springwibel
Βρέξας, Laubfrosch
Bufo, Kröte
Καλαμήτη, item Laubfrosch
Καμψίουρος, Eichorn
Caprea, Reh
Castor, Piber
Cervus, Hirtz
Chamæleon, Germanis est ignotus
Crocodilus, Crocodil
Cuniculus, Cunlein

Mus lassicius, Lassitz
Mus Noricus, Pilche / Bilche / Zisel / Bilchmaus / Ziselmaus
Mus domesticus major, Ratte
Mus Pannonicus
Mus Ponticus, Hermlein
Mus aquaticus, Wassermaus
Mus subterraneus, kleine Schörmaus
Mus sylvestris, Haselmaus / oder Nösmaus
Mustela domestica, Wisel
Mustela sylvestris, Iltes
Μυγάλη, Spitzmaus
Μυς σκίουρος, Eichorn
Noerza, Noertz
Platyceros, Damhirs
Pulices terreni, Erdfloch
Γυρίφρυνος, Fewrkröte
Rana rubeta, Kröte
Rana temporaria, Reifröschlein
Rana venenata fossilis, Fewrkröte
Rana viridis parva, Laubfrosch
Ranæ virides, sublividæ, subcinereæ, Frösche
Rupicapra, ein Gemps des hörner hindersich gebogen sein
Salamandra, Molch

Corvus

Corvus aquaticus, Wasserrabe
Corvus, cujus caput rubra macula est insigne, Holkrahe
Corvus nocturnus, Nachtrabe
Crabro, Horlitze
Cuculus, Kuckuck
Κυψελοὶ, Spirschwalben
Fulica, Wasserhun
Galgulus, Hammerling
Gryllus domesticus, Hausheim
Gryllus agrestis, Feldheim
Halcyon fluviatilis, Eißvogel
Hirundines domesticæ Hausschwalben
Agrestes Maurschwalben
Ripariæ Spirschwalben
Ibis, avis Ægyptiaca Germanis ignota
Ικτῶρος, Hemmerling
Lagopus, Schnevogel
Locusta, Hewschrecke
Mergus, Teucher
Merula, Amsel und Scharpffel
Milvus, Weih oder Hüneracht
Noctua, Rantzeule/Schlaereule/Stocheule/Steineule
Νυκτικόραξ, Nachtrabe
Olor, Schwan
Onocrotalus, Schnegans

Palumbes, Holtztaube vnnd Ringeltaube
Perdix, Räphun
Pica, Agelester / Alster / Elster
Picus, Specht
Γυῤῥοκόραξ, Holkrahe
Querquedula, Krichentlein
Sturnus, Stár
Tetraones, Pirchhůner vnd Awerhun
Turdus, Krametvogel/ Zimer / Weindrusschel / Zipdrusschel
Vespa, Wespe
Vespertilio, Fledermaus
Ulula, Huhu
Upupa, Widehofe
Vultur, Hasengir

NATANTIVM.

Alburnus, Weisfisch
Asellus, in Italia Asino
Aurata, Venetiis Auraia
Barbus, Parme
Buccinum, in Liguria corneto
Cancer fluviatilis, Krebs
Conger, in Italia congro
Coracinus, Neapoli coracino
Delphinus, Mehrschwein / darvon kompt Salspeck

Glaucus

Glaucus
Gobio fluviatilis, Schmerle
Hippurus
Lucius, Hecht
Merula, Massiliæ roquando
Murena, in Italia murena
Orphus, in Sicilia cernha
Pisces fossiles Peißker vnd Merputten/ qui sunt crassiores
Pecten, Venetiis cappe
Perca, Berse
Primadia
Purpura, *in* Græcia porphyro
Raja, Roch
Salar, Fhure
Salmo, Salm/Lax
Sturio, Stör
Thynnus thunno
Turdus, Massiliæ roquando

SERPENTIVM.

Acontias, ignotus Germanis
Amphisbæna, ignota
Aspis, ignota
Boa, Vnke
Basiliscus, ignotus
Cæcula, Blindschliche
Calabricus serpens, ignotus

INDEX

INDEX IN LIBRUM DE SUBTERRANEIS ANIMANTIBUS SECUNDUS.

A.

Ariſto-

B.

Boæ

Chelydros

Dama

D.

E.

F.

Hamestri

I

Ικτις

K.

L.

M.

N.

O.

P.

Pſellus

T.

Teuto-

V.

Vola-

X.

Z.

DE ANIMANTIBUS SUBTERraneis Indicis finis.